





VENERABILIS SERVI DEI

FRANCISCI OLYMPII


Ordinis Clericorum Regularium

VITA

DESCRIPTA

A IOSEPHO SILOS BITVNTINO

Ex Eisdem Clericis Regularibus Presbytero.







ROMÆ,

Typis HH. Corbelletti. MDCLVII.

Superiorum Permissu.



SANCTISSIMAE VIRGINI DEIPARAE.



IOSEPH SILOS CLERIC. REGVL. D. D.



VAM de Francisco Olympio, eiusque virtutibus scriptionem, pro modo adornaui, Tibi, Augusta Dei Mater, vt consecrarem, visus ipsemet Franciscus Olympius exposcere votis suis. Scilicet, Te Patronam, Te Parentem ab ipsis penè vitæ rudimentis coluit; auspicatusque

à feſtis Tuis Niuibus vſuram lucis, vſque adeó poſtmodúm à Tuo igne incaluit, vt in Te ornanda, obſequio, cultu, ſtudio totus fuerit. Aedes, araſque Marianas ſplendidè concinnare, procurare Tua ſacra, mortalium in Te pietati amplificandæ prolixiùs ſtudere, Tuo denique Nomini terrarum amores, affectuſque adiungere, hæc eius potiſſimùm meditamenta, & curæ. Et aderas ipſa perbenignè Clienti Tuo. Viſa quippè es cunas ipſas Tua viciſſim beneuolentia afflauiſſe; informaſſe prematurè infantiam; ac cœleſtis velut apis, in eius nòn ore, ſed pectore inſediſſe, mellificaſſe: tùm genium Puero indidiſse; ac preclaram indolem, quę in egregiam ſeſe poſtea innocentiæ, ac virtutum omnium laudem explicauit. Quid in reliqua deindè vita Franciſco beneficentius, quàm Cœli Regina?

Opes

Opes animi, quæ illi ingentes, nonnisi à Tua manu, quæ tornatilis, aurea. Exigua, magna si peteret; aderas supra votum munifica. Lenienda interdum diuexata secreto morsu pectora? Leniebas, irrigabas ipsa Tuo nectare, ac balsamo. Valeret, decumberet? Tu illi tutela, & salus. Igitur, qui inclyto Tuo Nomini cultu pietatis intimè addictus, dedicatusque olim fuit; iterum se Tibi dicat descriptus à meo calamo. Is idem Olympius est, qui per ætatum gradus Tuo Patrocinio dignatus, auelli à Te, Tuisque vestigijs nescit. Agnoscis profectò illum de vultu, ceu parens filium. Eadem hic quippè vides spectatæ frontis, orisque lineamenta: laudatissimos nempè mores, quos ipsa peramanter instillasti, virtutes, quas aluisti, sanctimomoniam, quæ Tuis auspicijs, ac documentis insigniter adoleuit: atque adeò

vt

vt ille olim Olympius ab insigni complexione virtutum, atque à Tuo in illum studio Tibi acceptissimus; ita hic etiam à me impolitè concinnatus, ac Tuo in sinu elimandus, perc arus planè fuerit. Reliquum est, vt amplitudine, ac benignitate Tua complectare, ac foueas, quod est iam pridem Tuum: atq; interim, si quid pretij meruisse hic labor, ac stylus potuit, faue etiam, Augustissima Virgo, auctori, & operi.



AV-

D. FRANCISCVS CARAFA Congregationis Clericorum Regularium Pręposítus Generalis.

VIta Venerabilis Serui Dei Francisci Olympii Clerici Regularis à P. D. Iosepho Silos nostræ Congregationis Theologo conscripta, & à Patribus, quibus id commisimus recognita, & approbata, vt typis mandetur, quo ad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & solito nostro sigillo munitas damus, Romæ die 17. Septembris 1657.

D. Franciscus Carafa Præpositus Generalis.

D. Nicolaus de Lino Secret.

VItam Venerabilis Serui Dei Francisci Olympij ex nostris à P.D. Iosepho Silos, nostræ item Cōgregat. conscriptam, iussu Adm. Reu. Patris D. Francisci Carafæ Præpositi Generalis diligenter percurrimus: & quòd acres admouere stimulos pietati legentium possit exemplorum in ea seges, atque explicata multiplex virtus, dignam ducimus, quæ lucem aspiciat. Romæ die 8. mensis Septembris 1657.

D. Carolus de Palma Cleric. Regul. Consultor, & Sac. Theologię Professor

D. Andreas Sottani Cleric. Regul. & Sac. Theologiæ Professor.

Im-

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sacri Palatij Apost.


M. A. Oddus Episc. Hierap. Vicesg.



Imprimatur

Fr. Raymundus Capisuccus Ordinis Prædic. Sac. Palat. Apost. Mag.

AV-



AVCTOR DE VITA OLYMPII à ſe Conſcripta

ODE.

NOn hic verendæ frontis Olympij,
Formamque vultus egregiam manu
Expreſſit arguta Timãthes,
Phidiacæ aut poliere curæ.
Fluxa hæc; decoræ protinùs extima
Imago frontis deperit, orbita
Labentis æui proterente,
Deciduo quod in ore vernat.
Aeterna mentis forma, volubiles
Quæ ludit annos, aurea & indoles,
Cognata cœlo, & maior æuo
Effigies animæ perennis;
Hæc picta chartis. Spirat Olympius
Qua parte viuus nil color audeat,
Nil Coa dextra; & cuncta fingit
Ingenio potiore virtus.

Hac ille faustè nascitur auspice,
Reptatque cunis; mox & in integros
Assurgit annos: tùm decoris
Cæsaries senuit pruinis.
Seu flore primo lacteus ebibit
Præcepta morum; hac arripit impiger,
Dictante, rectam frugem, & altè
Pectore in exiguo recondit,
Seu, qui iuuentæ ferbuit impetu,
Frangendus ardor, telaque Cypria;
Virtus retundit, corda & ære,
Indomito aut adamante munit.
At colla subdit paupere sub toga
Si prona cœlo, compede & aurea
Mentem reuincit, sic potitus
Imperio meliore mentis;
Adaucta proh quàm diuite copia
Virtus dicato crescit Olympio!
Affusa largè, exaggeratis
Diuitijs cumulat merentem.
Hinc vis flagrantis pectoris ignea,
Complexa blandè Numen amabile:
Et nectar illapsum medullis,
Deliciæ & lacrymis remittæ;
Hinc suetus acrem pauperiem pati,
Ceu cariorem vellere Punico,
Quam longa detriuit vetustas,
Diues amat tenuem lacernam.
Non lauta curæ prandia; sæpiùs
Sat fonte puro pocula, sat Ceres.
Par & quies sopit reclinem,
Stramineo breuior cubili.
Mens inde velox peruolat altiùs,
Tangitque penna remige sydera;
Et magna sublimis tuetur,
Sydereis residens theatris.

At hæc sub imo pectore contegit,
Periculosi transfuga luminis.
Se namque munit nocte, & optat
In tenebris radiare virtus.
Tu siste. Grandis nam labor, intima
Lustrare magni pectoris. Arduum est,
Quæ quisque celat, condidítque
Dona sinu tacitus profundo,
Per ora vulgi spargere. Nobilem
Mentis figuram sat fuit inclytæ
Libasse, præstantemque parua
Effigiem variasse telà,



DE
FRANCISCO OLYMPIO
EIVSDEM SENARIOLI.

OLympus astris celsior, surgit supra
Quicquid volubile est, fuga & quidquid rotat
Præcipiti, & vltra lubrici mundi vices.
Olympus ardet semper, & fulget mero
Meridie, æterno iubare plenus suo.
Olympus Augustale ter magnum Dei,
Quem sacrat, implet, diuitat, pingit, fouet;
Aequæuus ille Soboli, & innuptus Pater,
Paterni & hæres pectoris, Verbum Patris,
Spirabilis & ille ardor, & lux mentium.
Olympus alto gurgite exundat boni,
Et melle sudat, nectare & puro madet:
Hic vena pulchri, pax, serenitas, caput
Hic lene sacræ amœnitatis diffluit.
Fallimur? an abripuit stylum præceps calor?
Qui dixi Olympum, Olympium mihi mens fuit
Dicere: reuulsa littera lusit chelys.
At hunc, vel hunc expresseris refert parum;
Nam par Olympo, aut similis est Olympius.
Sublimiore Olympius perstans gradu,
Caduca celsa fronte despectat, premit.
Olympius pura ardet, & lucet face,
Imbutus arcano iubare niueum sinum;
Olympius vim Numinis fusam intimè,
Ipsumque Numen pectore & gerit, & capit;
Olympium largiflua mergunt gaudia,
Quæ sidera rigant aurea, & Cœlum beant.
Sic nomina remiscent venustè, & res suas
Olympus, & Olympius: vterque purior,
Sublimis, ardens, melleus, plenus Deo.

PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVM Sanctissimus D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. Decretum ediderit, idemque confirmarit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit, imprimi libros, hominum, qui sanctitatis, seù martyrij famą celebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij; & quę hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij anno 1641. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem cum protestatione in principio, quòd ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Auctorem; Huic decreto, eiusque confirmationi, & declarationi obseruantia, ac reuerentia, qua par est, insistendo, profiteor, me haud alio sensu quidquid in hac Serui Dei Francisci Olympij Vita refero, acci-

cipere, & accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nituntur: ijs tantummodò exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.



SE-

SERIES CAPITVM

LIBER PRIMVS.

LI.

LIBER SECVNDVS.



FRAN-



Vera Effigies Venerabilis Serui Dei Patris D. Francisci Olimpij Clerici Reg.
qui cum Sanctitatis fama obijt Neapoli in Coenobio SS Apostolorum
die 21 Februarij. 1639 Ætatis suæ 79.

Romæ Super. permiss. 1647



FRANCISCI OLYMPII VITA.

Liber Primus.

Francisci natales, & virtutis rudimenta. Cap. I.



RANCISCVM Olympium Clericum Regularem, eximia religione, vitæque ſanctimonia virum vt deſcriberem, ſuaſere cùm noſtratium, tùm exterorum vota, enixè poſtulantium, vt quæ, dum is viueret, commendata omnium plauſu præclara exempla virtutum fuere, excepta tandem ſtylo, publicæ animorum vtilitati proſtarent. Floruit is quidem noſtra hac tempeſtate Neapoli ea nominis celebritate, ac morum fama, vt neſciam, an vlli vnquam communis adeò conſenſus mortalium, ac veneratio contigerit adhuc ſuperſtiti. Certè quidā ex noſtris hominibus egregiè probus, ac priſci pręſertim æui cum paucis doctus, dicere ſolitus erat, ſibi qui-

Qua nominis fama floruerit Olympius.

dem sacrarum historiarum monumenta euoluenti; neminem ducentis abhinc annis occurrisse, quem omnes passim concentu quodam animorum in pretio, ac veneratione habuerint, sicuti Francisco Olympio contigerat. Rarum quippè,ea esse quempiam probitate,ac indole, vt omnium animos,amoresque occupet. Variū multitudini ingenium, atq; id illi insitum, vt nunquam perindè res preclarè gestas multi probent, quin plerique etiam improbent, ac eleuent: siue illos liuor, siue quædam agat obloquendi cupido: quorum sanè iudicia neque sanctissimos quosq; viros effugisse, compertum habemus: & quos morum innocentia tueri abundè debuit,illos hæc eadem inculpatæ vitæ lux obtrectatoribus obiecit: offenduntque hi quidem semper liquidissimo in Sole maculas, quas cæteris deinde cōmonstrent. Cum Francisco Olympio secùs profectò actum. Adeò nanque is sibi omnium studia, affectus, admirationem insigni quadam modestia, ac pietate conciliauerat, vt nullus vnquam aliquid sibi in viro innocentissimo displicuisse, affirmauerit; nullus, vel morosior,visus quippiam mussare, aut carpere. Domestici, exteri, ordo, populus, ac viri ipsi principes æquè illum suspicere: Olympium nominasse, absolutissimam quandam religiosi moris, atque excellentis virtutis imaginem, ideamq; obiecisse erat. Quę cùm suo loco denarranda mihi opportuniùs sint,in hoc rerum vestibulo innuisse ideò volui, vt ostenderem, communia nunc vota iure omni exposcere, vt quem suis olim studijs prosequuti sunt certatim omnes, is ipse suis modò lineamentis descriptus, ac veluti animatus, prodeat in lucem, spiretque denuò Olympius,ceu rediuiuus narratione virtutum. Quod ego,

Vulgi ingenium.

Aequè apud omnes in honore Olympius.

ego; vt publicæ huic pietati faciam satis, nauare pro modo, ac viribus statui, non tàm copia, cultuque dictionis, quàm, quod est in eiusmodi commentarijs primum, integra fide.

Neapoli natus est Franciscus, anno à Virginis partu nono, & quinquagesimo supra sesquimillesimum, die Augusti mensis quinta, magnæ Matris niuibus sacra: vt dicere postea solitus esset, se quidem, quod nascentem Diua Virgo, ceu grande sydus aspexerit, peculiari quodam nomine obstrictum illi esse; magnisque ijs auspicijs, ac sacrarum niuium commemoratione moneri se, cùm illibati cuiusdam animi candoris, tùm præcipuæ in Deiparam obseruantiæ. Quòd verò inter Saluatoris, ac Diui Dominici solemnia edi in lucem contigerit, his ipsis nominibus ad lustralem baptismi fontem affectus est: addita etiam Horatij appellatione; quo postea nuncupari nomine consueuit: professus, vbi ab æuo ratio, ac virtus accessit, iniquè secum actum, quòd omissis sacris appellationibus, profanum nomen adhæserit. Pater illi Tyberius Olympius, nobili loco Capuanus, æquè probus, ac doctus: qui quidem ingenii, ac studiorum fructum, vt demeteret, foro Neapolitano mancipatus, in causis præcipuè capitalibus perorandis totus fuit: valuitque adeò in eo patrocinij genere doctrinarum præstantia, ac vi facundiæ, vt quos sibi reos tuendos susciperet, in libertatem facilè vindicaret; adeptus vulgò ab huiusce dictionis vsu, atque asserta sæpiùs libertate Diui Leonardi nomen. Mater, Isabella à Leo, præclari moris fœmina, cui soror Victoria à Leo, Ioannis Angeli Barilij, Caiuani Ducis, ac Regni Neapolitani à secretis, viri nobilis, vsuque rerum spectati coniux,

Eius incunabula

Nomen.

Parentes

Fratres. Fratres habuit omninò sex, quorum duo cum præcipuis è Neapolitana nobilitate familijs innexi matrimonio sunt: vti & germana itidem soror splendidè nupsit: florente nimirum opibus domo, quam perindè lautè auxerat Pater, vt ex filijs primo loco natus fuerit etiam Fauaræ Dominus, quod est in Lucania oppidum. Quamquam quæ est fortunarū inconstantia, pressit postea opulentam familiam grauis inopia: viditque Franciscus ipse suos indigere: quod illi in eximiæ tolerantiæ palæstram, ac laudem cessit, vt in tempore dicemus. In hac autem rei familiaris difficultate non minimum sanè negotij facessere videbantur, quas fratres susceperant, filiæ: quibus nihilominùs adfuit Franciscus, non quidem officijs, aut emendicata à pijs viris munificentia, sed ipsa sui nominis celebritate, atque opinione virtutis. Enimuerò præcipua quædam Neapoli Sanctimonialium cœnobia nullo eas censu inter Virgines suas adoptarunt: putaruntque, satis eas dotis numerare, quòd Olympij neptes essent. Neq; verò Christo, cui nubit sacra Virgo, splendidius afferri patrimonium potuit, quàm præclara adeò affinitas, ac consanguinea tantæ pietati puellarum indoles.

Neptes.

Iam verò præter ingenium, quod in ipsis statim literarum rudimentis volucris quædam in addiscendo facultas commendauit, egregia quædam in puero virtutum semina, quæ maturam, auream que mox segetem adpromitterent, visa statim efflorescere. Parentibus nihil eo obsequentius. Planè, vt est refractaria, atque indocilis puerorum ætas, cœteri quidem fratres nunquam adeò in obsequendo prompti, quin appellari interdum subaspere, mulctarique

In parentes obsequium.

rique

rique oporteret. De Francisco testata mater est, nunquam in eo habuisse, quod vindicaret; opportuno videlicet, facilique ad omnem obseruantiam ingenio. Semel erratum famuli luere ipsum contigit, vapulauitque immeritò: quod æqua fronte, vultuque supra puerum tulit: fuitque non tristitiæ, sed pietatis incitamentum mulcta. Receptus nanque in domesticum sacellum, diem illum inter preces traduxit. Supra parentum obsequium, & cultum animum occupauerat Dei timor, ad cuius normam, ac nutum metiri iam tùm incessus, actus, verba; veritus, ne quid inconcinnum, ac præposterum excideret, quod animum, ac Numen læderet: tùm si quid leuioris licet noxæ admisisse intelligeret, sacra confessione eluebat. Qui quidem Dei timor moderari, adductis veluti habenis, non modò pueritiam, atque adolescentiam visus est; verùm etiam præmaturo quodam frœno ante ipsum rationis vsum componere mentem, ac mores cœpit: adeò vt affirmauerit ipsemet aliquando, vehementer solicitum se id ætatis, ne prolabi contingeret. Quod sanè vltra fidem videri posset. Nam quo tempore admordere culpa animum nequit; planè non ea tùm pertimescenda: nisi quis festinatis ætatis incrementis, ac luce quadam mentis antelucana ætatem ipsam anteuerterit. Quocirca dici quodammodò Olympius potest à cunis pius, ac virtutem penè habuisse collactaneam; vti de nonnullis sanctis viris memoriæ proditum est, quorum cunabula, atq; infantia religio, ac pietas consecrauit. Cauit is timor candori potissimùm mentis, ac corporis integritati, quam tueri principe studio visus est: gnarus, ea se die natum, qua die Matris Dei niues hanc præsertim

Et Dei timor.

Et mētis candor.

lertim virtutem deprædicarent. Elucebat in vultu ipso ingenuus pudor, cuius speciem ne verbulo quidem, aut aspectu vilus vnquam fœdasse, aut inumbrasse leuiter; seruauitque ad extremam deindè vitam pulcherrimum hunc illibatæ castimoniæ florem, præcipuum nempè, at maximè deciduum, ac fluxum vitæ ornamentum.

Ad hæc, in egenos charitas admiranda planè in eo ætatis rudimento fuit. Commiserari ex animo: tùm manu etiá iuuare, cùm suppeteret puero, quod elargiret. Et accidit aliquando, vt, poscente eleemosynam paupere, dum is meridiaretur, partita confestim annona, aut integra etiam erogata, pietati egregiè litauerit. Quod an summa animi alacritate obiret, testimonio fuerit, quòd grandis deindè natu, senectaque etiam ætate memoria id ipsum repetere; ingentique cum animi sensu, veluti impensæ olim liberalitatis voluptatem regustaret, referre solitus erat. Sacrorum etiam cultui, religionique in Deum visus egregius puer scitè proludere. Enimuerò, qui cætera puerorum studia, lusus, nugas quadam maturæ iam mentis grauitate proscripserat, tempus deindè religiosè terere consueuerat: dabatque præcipuè operam excitandis, ornandisque sacris domi ædiculis, in quibus diuinorum ritus, functionesque Ecclesiasticorum in morem obire, imitarique videbatur. Specimen nimirum id fuit intentioris eius studij, quo postea, vti explicabimus, Ecclesiasticæ rei cultum, atque elegantiam procurauit: quo quidem in cultu cùm ipse totus esset, tùm alijs etiam inflammandis vsurpare ea Prophetę verba solitus erat: Dilexi decorem domus tuæ: quibus subindè addebat: Et Matris tuæ: nempè, vt singularem, quam à

Et religio.

cuna.

cunabulis penè conceperat, in augustissimam Dei Matrem obseruantiam ostenderet. Et verò, præcipuus in optimo adolescente Marianus hic cultus fuit. Visa planè Diua ipsa Virgo hac potissimùm pietate eius indolem, animum, mentem informasse, atque erexisse: neque enim insigni eiusmodi deuotioni, tantoque in Deiparam studio, ardorique eius æui ephebulus ex se respondisset. Sertum coronarium, quo hæc cœli Regina celebratur, non semel, sed pluries in dies percurrere: exercebatque non corpus pila, vti moris est pueris, sed pietatem, ac linguam precarijs ijs globulis. Ieiunia cùm libenter toleraret, tùm ipsam in primis diem, in quam salutatæ ab Angelo Virginis festum inciderat, totum deinde consequentem annum colere striĉtiore abstinentia consueuerat. Ad eam viciniam, quam à Lignariis Neapolitani vocant, paternas proximè domos ædes Deiparæ à Carmelo erat, Carminellum vulgò appellant; Huc ille consalutandæ, celebrandæque Dei Matri se se frequentiùs recipere: Patronam hic prensare, orare, meditari. An verò probaret Illa clientis sui religionem, ac studium, collatis beneficijs ostendit. Semel, raptantibus currum equis, ita Olympij pedem rota pressit, vt obtritum putauerint. Sed implorante illo Carmelitæ Virginis fidem, ac patrocinium, ita currus pertransijt, vt ne leue quidem damni vestigium in presso iam pede reliquerit. Hoc sibi: illa aliis. Puer quidam non mediocri quidem cum corporis labe ab alto deciderat, luxatisque fœde membris, iacebat. Commiseratus casum Olympius, Marianum templum adit: fusisque ad Deiparam precibus, breui restituta puero incolumitas. Domi verò, amissis quibusdam

Et in Deiparā pietas.

A qua beneficia.

claui-

clauibus, serua iram Dominæ, ac mox verbera vehementiùs pertimescebat. Quid tùm Adolescens, cui cereum à naturę facilitate pectus? Ad Dei Matrem conuolat. Nec mora; non modò repertæ vtcumq; claues; sed quod ille potissimùm rogauerat, id loci reperiri eâs contigit, vbi suspicari nullus posset, quempiam data opera occultasse. Abundè hæc non modò adultam iam in ipso ætatis tyrocinio in Diuam Virginem obseruantiam, sed multiplicem etiam virtutem in adolescente indicant. Nam cui tàm prope aderat Dei Mater, mores inesse laudatissimos, atque insignes animi partes oportuit.

Consilium ineundæ Religionis, ac Vota. Cap. II.

ENIMVERO, qui præclaris hisce pietatis veluti primitijs vitam inchoauerat, destinatus religiosæ disciplinæ videri poterat. Quos enim sibi, suiq; obsequio seposuit Deus, illos plerumque præmaturè expolire, ac suis etiam notis distinguere solitus est. Igitur dum egregios naturæ impetus vsu, exercitationeque piorum operum format ornatissimus Iuuenis, crescitque in dies diuinorum sensus, atque æstimatio; mentem religiosi Instituti concipit: impulitque potissimùm, quem diximus, timor, ne rerum humanarum illecebræ fallerent, ac labi aliquando in lubrico contingeret. Ac primò quidem animum D. Dominici regulæ appulit, alliciebatque tanti Ordinis splendor, ac sanctitas. Verùm cùm assiduus in nostra D. Pauli Ecclesia adesset, nostris etiam hominibus sæpiùs immixtus,

Religionis mentem concipit.

fixtus, capi cùm loci religione, tùm ipsis Theatinæ vitæ rationibus, planè arcana quadam vi, instinctuque Numinis visus est. Etenim quo tempore addictus maximè Prædicatorum Familiæ erat, peracri quodam desiderio nostræ disciplinæ capessendæ vellicari, atque vrgeri vehementer sentiebat: adeò vt interrogatus seriò à nostratibus, an daret Clericorum Regularium Instituto nomen; cùm abnuere animus esset, ac conaretur; annueret nihilominùs impetu quodam, cui imperare, aut obluctari minimè posset: agnouitque monitore deindè confessario, cui rem omnem aperuit, se genio quidem aliò propelli, diuinitùs verò ad Regulares Clericos vocari. Quocirca pandere huic vento vela iussus, Theatinum habitum in D. Pauli cœnobio petijt; ac die Februarij sexta decima voluentis anni septuagesimi quinti supra sesquimillesimum, ætatis sextodecimo exceptus ingenti cum eius Familiæ approbatione est: præsertim Ioannis Capycij Galeotæ, qui tùm Paulinam eam domum administrabat, viri præter generis laudem, ab insigni pietate, multisque animi partibus commendatissimi; qui, quòd ab ipso Horatij vultu, externaque specie nescio quid prædiuinaret celebrioris olim virtutis, ac famæ, visus, maximo quidem opere gratulari hoc Ordini additamentum, ac decus. Dat Clericis Reg. nomen.

At non hic diù hæsit Olympius. Enimuerò quam superiore anno in Romanis Comitijs agitauerant Conscripti Patres, ac probauerant Sanctorum Apostolorum domum, iniri, fundarique hoc anno contigit; descriptaque loci familia, visum in primis opportunum, vt quæ in D. Pauli contubernio tyronum pubes alebatur, eò immigraret: proindèq; transire

Horum in suscipiẽdo habitu ritus

illuc adolescentulum oportuit, planè non sine quadam testificatione virtutis. Solemne quippè nostro Instituto est, vt non statim ac adoptatus quispiam in Ordine est, probationis annum auspicetur: verùm ad quoddam experimentum exigua quadam habitus distinctione proludat disciplinæ integrum quadrimestre, necesse est: nempè vt tàm is, qui authorari ea militia postulat, illam per id spatii, an æqua viribus, sibique, ac genio sit contentanea, exploret; quàm Ordo ipse eiusmodi candidatos, eorumque habitudinem, indolem, ingenium propiùs inspiciat. Hospites interim hi, non tyrones appellantur: quoad quadrimestri expleto, collatisque vnà Patrum suffragiis, ad probationem admittantur. Igitur quotquot in Paulino tyrocinio erant, hospites ii quidem, antequàm sedem commutarent, initiandi solemni ritu Theatino habitu fuere, vt præscriptum deindè probationis stadium vnà simul in Sanctorum Apostolorum domo decurrerent. Olympio legitimum eiusmodi temporis interuallum nondum lapsum: verùm quòd alacriore quodam spiritu eniti ante alios, ac præire moribus videbatur, hac eum lege soluere Patres non dubitarunt: atq; intra trimestre, quod insolens nostris, inauguratus Religionis insignibus est. Quid verò acciderit matri, quo is die habitum induit, atque Horatii nomen de more commutauit, non hic planè dissimulandum. Nihil hæc antea de ritu vestium, mutandoque ea die filii nomine inaudiuerat. Ergo expergefacta summo mane, accidere ad aures vocem sensit, quæ Francisci nomen ter disertè exprimeret. Obstupuit illa quidem: at visum, non adeò in ea rei nouitate immorandum: quippè non dum prorsùs

Quid matri acciderit, cũ habitum induit Olympius.

tus abacto ab oculis somno, ludere adhuc insomnia videri poterant, atque insusurrasse auribus nomen. Sed rediit, & quidem ingentior admiratio. Allatum siquidem illi mox est, exuto filium veteri nomine, appellari Franciscum. Quo sanè altiùs quid peruolutare animo mater cœpit; ac didicit, monente cęlo, non indignum Francisci nomine filium fore. Id quod ipsamet postea comprobari omnium studiis, ac linguis Neapoli vidit. Ipsi verò Francisco periucunda accidit nomenclatio, quòd pulcherrimam obiiceret menti virtutis æmulandæ speciem: nempe eximiam Seraphici viri sanctitatem, quam imitaretur, atque exprimeret moribus.

Francisci nomine afficitur.

In hoc ineuntis disciplinæ exordio, dum pollicetur de se magna Olympius, auspicatus insigni animi contentione, velut in Olympico puluere sanctioris vitæ cursum, admissa quadam sensim caligine, animique ægritudine, elanguit ille mentis ardor, mali certè dæmonis artibus, qui quòd ab egregia optimi adolescentis institutione probè intelligeret, quantus hostis inferorum regno adolesceret; experiri hoc probationis anno vires suas, conarique omni ope visus est, vt illum à proposito, susceptaque vitæ ratione deturbaret. Inerat Francisco naturæ quædam hilaritas, quæ cùm otii dulcedinem, libertatemque, & quicquid oblectare lætam indolem solet, identidem animo obiiceret, arietare bonam mentem eò periculosiùs cœpit, quòd esset ab interno hoste pugna, ac impetus. Hinc illi intra domus, ac cellulæ angustias contineri, molestissimum: solitudine, ac recessu nihil experrecto eius ingenio, ac viuido infestius: subire piorum exercitiorum tædium; & ab eo aspera vi-

In tyrocinio pugna.

 deri,

deri, ac ardua Ordinis instituta; denique nulla menti quies à frequentibus eiusmodi impressionibus, quibus verberari, ac quati animus eo impetu visus est, vt penè de gradu mouerint: prętertim, quòd is aperire Magistro conflictatum acriter pectus, aut negligeret, aut pertimesceret: quo sanè vires addi inferni hostis conatibus, nemo non videt. Nihil quippè in via Dei perniciosius, quàm secretò vellicari, ac peti morsu: vtque ab occulto morbo conclamata infirmi salus; ita si prodas, hoc ipso penè conualuisti. Hinc Olympius, quòd foueret sinu malum, ac quadam etiam oris tranquillitate cùm sodalium, tùm moderatoris sui oculos falleret, fronte, scilicet, lætus, anxius pectore; propè abfuit, vt constantiam, habitumque exueret. At enimuerò qui ad sublimem quendam gradum virtutis illum destinauerat Deus, is idem adfuit in tempore, afflauitque cùm menti lucem, tùm firmitudinem, ac robur pectori, vt aduersarii tentamenta agnosceret, trangeretque. Hac nempè palæstra vtitur diuinum Numen, vt inter dura adolescat fortiùs, ac generosiùs magnarum animarum virtus. Itaque difflatæ mox procellæ, ac lusæ, quas dæmon adornauerat, machinæ: rediitque præclaro ascetæ tranquillitas, alacritas, ardor. Quæ factu difficillima videbantur, perfacilè obire: oblectari magnoperè supernorum gustu, ac contemplatione: modestiæ, suique demissioni cum paucis studere: viuidum præcipuè, amœnumque naturæ genium, quo vsus communis hostis fuerat constantiæ expugnandæ, non segniter, aut perfunctoriè atterere: concepit præsertim peracre emittendi solemni professione, ac ritu vota: quibus mirum est, quo se studio

Sed vincit.

ſtudio comparauerit, & quibus inundari tùm quidem deliciis peculiari quodam fauore Numinis contigerit. Ad aram nanque maximam dum ſiſtitur, vt inter ſolemnia ſacra nomen publicè profiteretur; ad ea pſalmi verba, quæ ter repetuntur: Suſcipe me Domine ſecundùm eloquium tuum, & viuam. viſus inſolitus quidam emicare vultu ardor, ab interna nimirum pectoris flamma, quam diuinitùs conceperat. Votorum verò ſchedulam publicè de more cùm legeret, vi quadam lachrymarum incredibili interceptus; non ita imperare ſibi, aut ſiſtere illas potuit, vt pergeret: immorandumque aliquantiſper fuit, quoad remitteret ille efferueſcentis animi impetus, ac copioſior non tàm fletus, quàm cœleſtium deliciarum vena. Planè, quod affunditur interdum liberaliſſimè cœli nectar, per oculos etiam exundet, neceſſe eſt. Quamquam in acceptabili hoc ſacrificio eluenda ſuiſmet lachrymis victima fuit, antequâm iugulata myſticè votorum ſacramento, ad aram caderet.



Frequens votorum repetitio.

Cap. III.



VNCVPATA tantò cum voluptatis sensu vota, visa incendisse, atque affecisse mirificè Francisci animum: cumque eò sæpiùs recurreret recordatio, nihil deindè frequentius in eo fuit, quàm, repetita religione, hæc eadem, vnde tantùm deliciarum manauerat, instaurare. Laudabile profectò id instituti est, nec sine fructu; receptumque vsu plerisque è religiosis Ordinibus: vt hi quidem semel; hi verò bis in anno solemni ritu, cultuque concepta semel persanctè, ac publicè vota repetant. Sæpiùs instaurasse D. Franciscum Assisinatem, ac Beatam Gertrudem, memorat in suis ad nostra instituta Commentariis Antonius Caracciolus. Quotidiè verò id religionis obire, non mediocri in lucro posuere alii: atque ita factitasse Paphnutium, magni nominis ascetam, in Patrum Collationibus legimus. Et nostræ quidem A Institutiones veterum nostrorum Patrum consuetudine, exemploque monent nos, hortanturque; vt sua quisque vota, antequàm cubitum se recipiat, in genua prouolutus repetat. Quod si B Romana militia authorati, dictum semel Imperatori suo sacramentum, quotannis ad fortitudinis, fideique incitamentum instaurabant; cur non religiosi viri, qui augustioribus sub signis sanctiùs militant; verba, in quæ semel iurauerint, non sæpiùs repetent? Consequitur porrò instauratum hoc sacramentum sua merces, ac pretium. Nam gliscit hinc animi

ardor,

Quàm laudabile vota repetere.

A Par. 3. cap. 1.

B Polyb. lib. 6. de milit. Romana.

ardor, ac studium ad ea, quæ polliciti semel sumus, quàm promptissimè obeunda. Tum ipsa promissorum memoria, si fortè ignauia consopiuerit, aut labefactauerit, excitatur; monetque priscæ dedicationis, ac præsentis officii. Ad hæc, iterum, ac sæpiùs dando, conduplicamus profectò munus, atque agere perquàm liberaliter cum Deo videmur: eòque diuinam vicissim munificentiam lacessimus, vt æqua lance vouentis voluntatem rependat. Quod, etsi ex C Theologorum sententia instaurare vota, non sit nouo se votorum authoramento obstringere: nihilo tamen minus perindè repetimus, ac si tùm primùm solemni sponsione authoremur: idq; ingenti cum animorum compendio, fructuque fieri, nullus planè negauerit. Et sunt non infimæ D notæ docti viri, qui amplissimam illam, quæ omnium consensione religiosæ professioni tribuitur, delictorum, siue pœnarum veniam, communem cum eiusmodi renouatione esse, disertè affirment: adeò vt quoties repetas, toties quicquid commeruisti lustralis flammæ, restinguas. Hanc igitur repetitam votorum religionem, qua nosmetipsos, atque arbitrii fasces, ac iura; tum fortunas, bona, illecebras iterum abdicamus; mirum, quo studio Franciscus Olympius arripuerit. Nam quod alii sæpè, ac bis in anno, singulis alii diebus obire consueuerunt; hac ille parsimonia minimè contentus, eadem sæpiùs die ita renouare solitus erat, vt singulis etiam mo mentis id factum voluisset. Quapropter, cùm quædam illi essent statæ diei horæ, tùm alia extra ordinem tempora destinauerat, in quibus istiusmodi sacrificio litabat. Conscientiæ labeculas vbi sacra confessione expiasset; expiabat verò quotidie, illi

Quid de votorum repetitione Theologi.

C Sayr. lib. 8 clau. cap. 3. §. 19. Azor. tract. 2. lib. 11. cap. 14. quæst. 1. & alii.

D Apud Pel legr. Comm. Consti. 2. par. cap 1.

Instaurat frequenter vota Olympius.

id illi ſtatim curæ, vt vota denuò nuncuparet: veluti tùm quidem opportunè, ac pro dignitate æterno ſe ſe Numini dedicaſſet, cùm noua acceſſerat à pœnitentia mundicies, ac nitor. Cuius quidem nitoris ſtudio id interdum curabat, vt pueri etiam ſuo nomine vouerent: vt puritatem, videlicet, adaugeret eorum innocentia. Ad hæc, cùm à morbo decũberet, & Chriſti Corpori communicaret; auguſtiſſimã Euchariſtiam hac præſertim inſtauratione profeſſionis excipiebat. Cùm daret ad Patrem Generalem literas, obſeruantiam illi probabat ſuam nuncupatione votorum. Si quid aggredi præclari operis, aut excellentis virtutis oporteret, vt auſpicatò inciperet, initium ab iterato votorum ſacramento ſumebat; addebatque animos, atq; alacritatem ea cuiuſcumque magni operis veluti proluſio. Præterea in Diuorum ſolemniis cùm ad ea præcipuo ſe ſe cultu, curaque comparare ſolitus eſſet; tùm illud opportuniſſimum, iiſdemq; Diuis pergratum putabat, nempè inſtaurare vota. Quoties in Antiſtitem aliquem offenderet, veneratus demiſſiùs Infulam, non antea abibat, quàm ſolemnia apud illum vota renouaſſet. Id ipſum ad ſummi ſacrorum Antiſtitis pedes obiuiſſe, in iucundiſſimis poſuit. Conuenire ſiquidem, vt in loco dicemus, Gregorium Quintum decimum ſemel contigit: ac tùm quidem, vt perparcè de rebus aliis, ac ieiunè pro ſingulari modeſtia diſſeruit; ita verba non ſanè pauca in votorum renouatione conſumpſit: ratus, nunquam opportuniùs, ac congruentiùs, quàm apud auguſtiſſimum ipſum militantis Eccleſiæ Imperatorem, ac Chriſti Vicarium religioſæ militiæ ſacramentum dicere, ac repetere potuiſſe. Ad hæc, compellauit illum aliquan-

do

do literis Constantia Barberina, ac tùm Vrbanum Max. Pont. tùm cęteram Barberinam domum eius precibus cōmendauit: qua ille arrepta occasione, cùm ornatissimę fęminæ verbis, pietatis, atq; officij plenissimis respōdisset; id in primis addidit, se quidem præcipuo quodā animi sensu ad SS. Patris pedes tùm quidem procūbere, iisq; exosculatis, solemnia paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota instaurare. Quem deindè morem neq; supremo ipso spiritu, ac penè depositus omisit. Enimuerò cū illum Nicolaus Herrera Apost. Nuntius in eo rerum articulo inuiseret, conflictatus licet extrema vi morbi, spiritu, atq; ardore quodam supra vires, atque instantis fati ærūnas, cùm pleraq; edidit diuinæ charitatis documenta, tùm ipsa potissimū Religionis vota in eius manibus disertè suscepit. Et quòd præcipui etiam viri è Religiosis familijs officij causa eò conuenirent, veluti supremi ipsi adessent illorum Ordinū Moderatores, nihil illi antiquius, quā eandē iis religionē, repetitis votis, probare. Neq; omittendū, vsq; adeò item periculosè paucis ante annis ęgrotasse, vt supremū morbū illum putauerint. Ac tùm quidem adfuit Franciscus Card. Boncōpagnus Archiepisc. Neap. vt Virum longè sibi commendatissimū inuiseret. At ille ea digniatus amplissimi Antistitis beneuolentia, vnà cùm quęsitissimis gratijs id statim religionis obire voluit; dictū, videlicet, semel, ac toties repetitū votorū Sacramentū in eius manu instaurare: putauitq; non mediocrem sanè fructum ab eius præsentia iterum vouendo decerpsisse.

Vel in supremo vitæ spiritu.

Illud Francisco aliquando molestissimum, quod visus hoc votorum solatio nonnihil temperasse. Addictissima illi erat Ioanna Austriaca, lectissima, ac religiosa in paucis Princeps, quæ Neapoli transmissura in Siciliā, id enixè postulauit, vt permitterent, vnà secùm ferre non ipsū Olym-

Ioanna Austriaca Olympij effigiem postulat.

Olympium,sed effigiem.Satiari eius identidem aspectu, ac frui monitis solitam ; auelli deindè, tantoque carere fructu pietatis, nihil sibi acerbius fore. Si ea vultus lineamenta, spirantemque imaginem asportaret,fore,vt persuaderet sibi,nō totum abesse Olympium;sed in efficta ea specie eius veluti dimidium,partemue saltem aliquam secum habere, quæ leniret subindè desideriū, ac vel múta ipsa in tabula erudiret, moneretq;. Agnouere Patres,nō leue quidem boni Senis modestiæ parari vulnus.Nam qui sibi à mortaliū luce, ac cultu cauebat maximè,quid abhorreret magis, quā sui simulacrū ad quādam venerationem expingi,ac multiplicari se, cohonestariq;in tabulis,ac bono veluti in lumine collocari? Verùm quòd infimis id precibus posceret Austriaca, iussū Francisco,vt permitteret pictori vultus:nempè & Saluatorem ipsum,hoc est,humilitatis exemplar suam olim imaginem ad Agabarū Regem misisse. Planè,vt sua est animi demissioni facundia, obniti, luctariq; multis vir modestissimus. Illud præcipuè inculcare; petendam ab optimo exemplari effigiem.Nam quodnam artis,atque operæ pretium fuerit, deterrima,aut vulgaria coloribus imitari? Se quidem nullius æris hominem;nec dissimilem fore imaginem. Metuere vehementer, ne inanis pictura ad vnguem exprimeret vmbratilem virtutem suā: nec demū par esse,vt imagini honor haberetur, quem exemplar ipsum non commeruisset. Non illi in iustissima causa,patrocinandæ,videlicet,modestiæ,momenta rationum deerant : verùm accedente mox sanctiore imperio, dedit confestim manus, id enixè precatus, vt quando certum erat,exprimi vultus; sinerent, tres omninò flores,lilium,rosam,caryophyllum,quędam veluti solemnium votorum symbola, appingi. Quo quidem visus mirificè tranquillari, ac sua restitui fronti serenitas. Abundè nimirum compensari humilitatis dispen-

Quod illi molestissimum,

Sed annuit, modo adessent votorum symbola

dispendia putauit: quando sibi videretur, vel in tabula ipsa retinere sua vota, atque ea singulis momentis quodammodò renouare. Id nanque in sui commodum, ac pietatis incrementum ab ea effigie tùm deriuabat, quod á se ipso impetrare minimè potuisset: nempè vt inter ea votorum symbola veluti perpetuò voueret. Porrò, qui istiusmodi instauratiuæ votorum religioni addictus vsque adeò erat; formulam sibi ea renouandi peculiarem concinnauerat; verbis quidem, à sensu, à pietate planè aureis: vt dictasse, atque adornasse insignis quædam in Deum deuotio, ac ardor videri possit. Excusa hæc olim Romanis typis non mediocri cum piorum hominum fructu prodijt. Verùm, quòd gratior suo quæque in loco res est: tùm quòd exciderit facilè, quod tumultuaria, ac breuis pagina excepit; exscriptam eam formulam hic volui, mansuram nempè diutiùs, atque vti eam volentibus opportunam. Sic verò habet.

Votorum instaurandorum formula ab Olympio.

IESVS, MARIA, FRANCISCVS.

Ego D. Franciscus profiteor hodie coram Domino Deo, qui exaudiuit me, & respexit humilitatem meam, & laborem, atque angustias, & eduxit me de Ægypto in manu forti, & brachio extento, & introduxit ad locum istum; & idcirco offero nunc primitias terræ huius, quam Dominus dedit mihi. Respice tu, Domine, de Sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo munera, quæ obtuli tibi hodie, & vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quæ tibi, te inspirante, quondam nuncupaui; & benedic famulo tuo Francisco, & terræ, quam dedisti ei, lacte, & melle mananti. Ecce tu Domine Deus meus inspirasti mihi, vt faciam mandata

hæc, atque iudicia, vt custodiam, & impleam ex toto corde meo, & ex tota anima mea.

Ecce Dominus elegit te, Francisce, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius, vt custodias vota tua, & obedias eius imperio. Ecce Dominus elegit te, Francisce, vt sis ei famulus peculiaris, & custodias præcepta, & consilia illius. Caue, ne obliuiscaris, vt sis seruus Sanctus Domini Dei tui.

Ego D. Franciscus Clericus Reg. indignus Sacerdos ob Dei bonitatem, obq; intercessionem Beatissimæ semper Virginis Mariæ cõfirmo, quod nunc pronuntiaui.

Vitæ, ac disciplinæ ratio post vota. Cap. IV.



VNCVPATIS Deo votis, vitam sibi ineundam duxit Franciscus, quæ Dei obsequio, ac cultui mancipatum deceret: ad omnem, videlicet, religiosi moris obseruantiam, exactamque potissimùm nostrarum Institutionum formam. Planè quòd floreret maximè ætas, ac indoles, nonnihil adhuc reliquum erat innatæ hilaritatis. Naturæ quippè impetus, ac volucrem quendam à iuuenta ignem nunquam bona fide extinxeris: suæ remanent, veluti in recessu, reliquiæ, quas nec tàm citò, nec tàm facilè emendaueris. In has ille statim insurgere, ea quidem animi contentione, ac studio, vt visus mox fuerit, quicquid genij, florentisque æui supererat, interior quidam

Olympij in virtute progressiones

dam diuinorum sensus, ac ardor depasci. Præsertim cùm initiari sacris contigit, ceu non tàm animo impressus ordinis character, ac nota fuerit, quàm adpressa lateri fax, promouere pleno gradu ad perfectionem cœpit: vt ab aspectu ipso, ab incessu, à cultu, vsuque pietatis omnes probè intelligerent, vberiorem cœlestiũ munerum copiam interiorem eius hominem impluisse, ex qua tàm læta exurgeret seges. Illud semel intentissimam comparandę, exercendęque virtuti mentem, ac supernè imbutam luculenter ostendit. In solemni re diuina ministrabat sacrificanti Olympius; accesseratque de more ad locum, vt Euangelium caneret: cùm ecce tibi sub ipsum statim initium hærere, atque obmutescere: tùm manare vbertim lachrymæ, veluti ab intimo quodam sensu doloris. Nullum in vegeto iuuene naturæ deliquium, aut languor apparebat: vultus, color, vires constabant; eòque mirari, qui aderant, hortarique, vt pergeret. Frustra omnia. Occupauerat nanq; vt vocem fletus, ita animum insolitus quidã motus, vt conari ampliùs verba nequiuerit, subiuitq; Sacerdos ipse Diaconi vices. Qui iam tùm arcana diuini Numinis beneficia, ac sacramentum Regis abscondere didicerat; interrogatus: ecquid subitæ rei accidisset? partim silentio, partim naturæ, animiq; defectionem quandam causatus, responsionem distulit. Sed altiùs prudentes viri petendam rei causam existimarunt: & ipsemet ingenuè deindè affirmauit, vehementi tùm quidem cogitatione atq; horrore defixum, quòd tàm vile caput, ac mortaliũ deterrimum, qualis esse sibi videretur, eò dignitatis peruenisset, vt Christi Domini Euangelium publicè enunciaret: proindèque nec temperare lachrymis,

Quid illi in Euangelio enũciando acciderit

mis, nec imperare sibi, vocique potuisse, vt pergeret.

Quod autem in Iuuene honestissimo intuentium statim oculos, animosq; pertraheret, ea erat incredibilis oris modestia, exactusq; ad religiosæ disciplinæ leges totius corporis habitus. Virtutis ea princeps cura, externam speciem componere; interiorisque hominis substructioni non ante manum admouet, quàm ipsam ædificij faciem, & quicquid est externi actus, concinnet, exornetque modestiæ laude. Et in Francisco quidem cum splendidam, sumptuosam, que excitare perfectionis fabricam cogitaret; visa à propylæo, hoc est, ab aspectabili facie, ac forma corporis opus inchoare. Nihil quippè in eius specie, aspectuque cerneres, nisi quod esset perquàm concinnè, religiosèque compositum: vt elucere iam tùm in oculis, ac fronte nescio quid exterioris sanctimoniæ videretur. Testatus id Indicus Mendoza, Mondesciari Marchio, quo tempore Neapolitani Regni vices administraret. Vtebatur is persamiliariter, vtpote quem suæ etiam conscientiæ admouerat, Ioanne Capycio Galeota, quem supra appellauimus, illumque cùm à cætera virtute, tùm maximè ab eximia quadam animi demissione suspiciebat. Neque enim adduci vir modestissimus vnquā potuit, vt curru vectus ad Prætorium adiret: neque admitti, nisi per secretiorem aditum volebat, vt obsequium, honoremque aulicum deuitaret. A profanis item negotijs abhorrere: professus, non extra conscientię momenta sui muneris partes, curasque extendi. Qua quidem agendi ratione si Principum aulas eiusmodi religiosi viri tererent, non adeò profectò eorum fama, communisque Sacrorum Ordinum existimatio laboraret. Igitur, fundatum non

Eius modestia.

Neapolitani Proregis de ea testimonium.

ita

ita pridem Sanctorum Apostolorum cœnobium, dum regeret Capycius Galeota, festa quadam die, eò adijt Prorex; vt diuina inibi vsurparet mysteria, honestaretque sui præsentia ea templi rudimenta. Beneuolentiam verò vt cumularet, dimisso famulatu, excipi citra scenam, ac pompam communi, frugalique mensa voluit. Inter epulas familiam contemplatus, oculos in Francisco Olympio ita defixit, vt nomen, patriam, genus, mores, consilium capessendæ Sodalitatis, aliaque de eo permulta edoceri singillatim, atque accuratè voluerit. Aderant quidem in ea potissimùm iuuenum classe, quos cùm sua, tùm suorum virtus nobilitabat: nempè Basilius Pignatellus, Lauri Marchionis, ipsiusque Proregis amicissimi filius, postea Aquilanis Infulis cohonestatus: Antonius Grisonus, qui, mutatis nuper stipendijs, è Belgio in Religionis castra inuolauerat: Ioannes Baptista Castaldus, qui Neapolitano in Gymnasio iuris prudentiam publicè multa cum laude docuerat, alijque præcipui sanguinis. Hos omnes, audito vix nomine, præterijt Prorex, ac ceu vinceret minores ignes grandius, ac clarius quoddam sydus, visus in Olympium totus incumbere; captus, videlicet, insigni modestia, ac pietatis indole, quæ vultum, atque oculos, humi deiectos, mirificè implebat, commendabatque.

Egregiæ verò fronti apprimè respondebat ipse animi recessus, atque intima virtus; quæ quanta deindè futura esset, primitiæ illæ spiritus, atque instituta optimis moribus iuuentus indicabant. Visus nanque iam inde primis lineis adumbrare, quod posteà natu, ac virtute grandior suis coloribus perfectissimè descripsit. Hinc videre in eo erat id floren- Exacta disciplinæ ratio.

ren-

rentis æui strictiorem quandam sui custodiam, ac censuram, voluntariam corporis afflictationem, mundi, suiq; despectum, abstinentiæ studium, paupertatis cultum, castimoniæ, ac pudoris florem, in diuinis rebus commentandis contentionem, in proximos charitatem, religionem, humilitatem, patientiam; quæ nos præsidia virtutum in loco commemorabimus. Disciplinam deindè Ordinis, legumq; nostrarum obseruantiam eo quidem studio arripuit, vt quicquid vel minimùm instituta læderet, crimen duceret. Nihil adeò aut humile, aut incommodum, quod non alacri, ac paratissimo obiret animo. Stata orationis tempora nunquam non aliqua appendix cumulabat. Choro veluti ad delicias assiduus aderat. Et nocturnam quidem psalmodiam, à qua vel seruantissimi quique legum quandam sibi identidem ad spiramentum aliquod vacationem indulgent, ea ipse contentione obire instituit, vt per annos omninò quadraginta, & eò ampliùs, nunquam à matutinis ijs laudibus abstinuerit: coactus nempè neruos subindè remittere, fatiscentibus à senio, ac valetudine corporis viribus. In reliquis Instituti moribus prorsùs nihil in eo desideraueris: in tractatione sacrorum mundissimus, elegantissimus: cultus vestium, ac cellulæ suppellex intra votam inopiam: in silentii obseruatione, recessuque citra publicorum munerum fraudem planè strictior: cùm templum, cùm domus conuerrenda, eo puluere sordidari honestissimum perindè, ac religiosissimum putabat: denique quæ fuit in adulto iam viro disciplinæ maturitas, florere prematurè cœpit in iuuene.

Literarum studiis, quæ firmamenta Ordinum sunt,

sunt, ac præclara actuosæ virtutis instrumenta, informari quidem Franciscus cœpit maiorum iussu; neque tàm sterili solo committi semina videbantur, vt labores, atq; eruditionis spes falleret ingenium. Verùm, quòd vellicari mox scrupulis plus nimio contigit, atque abriperent à literarijs exercitationibus molestissimæ cogitationes animum, abrumpi scholas oportuit. Etsi ab eo, quo iam tenebatur, diuinorum studio literarum ardor, ac gustus ita elanguisse videbatur, vt gymnasia, in quibus nō doceret diuinus amor, fastidiret. Certè Deus ipse, qui ad sanctiorem quandam, purioremq; sapientiā, atque ad optimam partem Franciscum destinauerat, ne distrahi contingeret, corrupto veluti cœterarum scientiarum sapore, ab ijs auellere curauit: voluitq; vt in animorum quæstu ea illi adiumenta literarum famularentur, quas orando, ac contemplando didicisset. Et verò cœtera rudis, sapientissimus à Christi academia videri potuit; ineratque lumen, ac vis mentis supra voluminum eruditionem: adeò vt plerique viri principes, & illum in rerum grauissimarum momentis consulerent, & euentu deindè consilium, ac sapientiam probarent. Auditus item aliquando de quibusdam diuinorum arcanis eo quidem acumine, atque vbertate ingenij loqui, vt non facundiùs, aut doctiùs è superiore loco vir quispiam eruditissimus disseruisset. Testantur id viri docti, quos occupauerit libenter hìc stylus; vt quo eruditionis genere instructus Olympius fuerit, agnoscat statim Lector. Vico Aequensi Neapolim soluerat, securus quidem sui, ac pelagi. Sed quæ inuitauerant crispantes vndæ, excitata subita ventorum tempestate, euerti, turbarique mox cœpere.

A studijs feriatur.

Sed diuinitùs sapiens.

Cauendum maturè duxere nautæ: & qui Neapolim cursum intenderant, Stabias flectere, capto ex re consilio, cogitarunt. Stabijs diuertere ad Societatis Iesu Patres Olympius voluit. Nouerat laudatissimos Instituti mores, atque in religiosos hospites humanitatem: exceptusque in eo Collegio omni officiorum genere fuit, effusa obuiam ad Olympij nomen familia. Tùm, quòd probè scirent Patres, nihil ad Dei Serui aures, gustumque accidere gratius posse, quàm si sermones de pijs rebus sererent; institutæ iucundissimæ eiusmodi colloquutiones. Cumque Diuæ Virginis sine originis labe conceptę instarent solemnia, ijsque celebrandis Neapolim Franciscus contenderet; de hac potissimùm magnæ Matris prærogatiua loqui cœptum. Quam ille nactus dicendi materiam, non quidem cunctabundus, ac tractim, vti literarum rudes; sed perindè ac si in sacræ Theologiæ spatijs versatus diù esset, copiosè, ac peracutè, styloque etiam, qui à sententiarum pondere, atque ab ipsa notione verborum aliquid supra scholasticum characterem indicaret, argumentum explicauit: planè vt affirmauerint, qui aderant, viri eruditi, tantùm doctrinarum in medium attulisse, quantùm afferri ab exercitatissimis ingenijs minimè potuisset. Abundè, scilicet, in diuinæ dilectionis Athenæo, ac schola orationis erudiuntur piorum mentes: vt dixerit vir ille è Franciscana Familia verissimè, vel despicatissimam vetulam, si amare didicisset, scire potuisse, quantùm Diuus ipse Bonauentura, hoc est, sui æui in doctrinarum laude summus sciuisset. Et suppetunt quidem insignium præsertim fœminarum exempla, quæ cùm nullis vnquam literis operam

De Diua Virgine sine labe concepta copiosè loquitur.

na-

nauassent; èa tamen de Deo, diuinisq; rebus afflatu Numinis dictauerint, ac scripserint, quæ ab argumenti sublimitate, granditateque dictionis literatorum etiam captum fugiant.

Sacerdotio initiatur, & in re diuina facienda religio.
Cap. V.



VOD magnoperè ad spiritus incrementa, vitæque, quam instituerat, progressiones Franciscus optauerat, id erat, sacerdotio insigniri: gnarus, eò se cœlestium munerum affusione vberiùs, ac liberaliùs irrigandum, quò propiùs ad boni fontem, ipsamque Diuinitatem eo sacri Ordinis gradu accessisset. Die Februarii mensis quinta, & vigesima voluentis anni octogesimi quarti supra sesquimillesimum inauguratus, qui exquisitis se se religionibus, ac per plusculos dies ad id dignitatis comparauerat, visus incredibili pietate, animique in primis modestia, humilitateque suscepisse. De Dei amicitia, ac beneuolentia nihil supra deprædicari posse, existimabat, quàm homines prouehi vsque ad aras. Missam nunquam subindè nominauit, quin sanctam, aperto etiam capite, appellaret. Illam bonorum omnium scatebram: illam præsidium, ac solatium sui: illam denique in vitę aduersis certissimum sibi perfugium esse, passim affirmabat. Immolandi quotidiè morem quo ardore, studioque arripuit, eo deindè constantia retinuit: nisi cùm affigeret lecto grauissima

In sacrificando æquè religiosus, ac frequens.

inualetudo, sacro nunquam abstinuit. Imbecillitas, lassitudo, languor, itinera non ea erant, quæ quotidianam litationem abrumperent. Intra quadraginta annorum spatium, ex quo primam Deo hostiam libauit; cessasse bis contigit: semel cùm Vico Aequensi Neapolim traijceret, adspirantibus lentè contra votum, ac spem auris, quæ cymbam impellerent, elapsoque per eas moras sacrificandi tempore: iterum probandæ Viri virtuti, sic iubente moderatore; apud quem frustra conniti multorum officia, ac preces visæ sunt, ne tàm seuerè, tantoq; cum vulnere pietatis cum eo ageret.

Opus verò longè diuinissimũ cùm sit, peractum semel in Cruce Sacrificium, incruentam ad aram repetere; in id maximè neruos contendere videbatur Olympius, vt quæsitissimo se se cultu ad illud appararet. Veteri Sacerdotio vmbra tantæ rei contigit. Hircorum iugulum, ac fibras cultro petere, eorumque fœdari sanguine, hoc priscæ religionis munus: quod tamen qua munditie, cultuque corporis, quibus lustrationibus, quo syrmatum splendore implerent Sacerdotes, nemo non nouit. Nobis veritas ipsa, & lux, hoc est, immaculati Agni Dei sacrificium cùm sit; qui mentis candor, qui flos castimoniæ, quæ inesse morum, vitæque innocentia, ac pietas deberet? aut quo non solari radio puriores esse manus oporteret, quę diuina hæc mysteria, ac iugulatum mysticè Numen pertractant? Vt quanta maxima posset animi munditie, atque ardore spiritus ad aram accederet, in eiusmodi apparatu totus erat Franciscus. Præibat rerum cœlestium contemplatio, idque non perfunctoriè, ac raptim, sed per plusculas horas: vt & incalesceret vehe-

vehementer ab igne, quem meditatio euentilabat; & hausto diuinitùs lumine, inclaresceret simul mens à diuinorum commentatione: adibatque ad immolandum cùm supernè collustratus, vt eius victimæ pretium, dignitatemque agnosceret; tùm intimè inflammatus, vt suus etiam ignis incenderet holocaustum. Summo deindè animi nitori, puritatique comparandæ, conscientiam sacramentali confessione quotidiè procurabat, ea vi doloris, internique sensus significatione, ac si palmaris alicuius criminis reus esset; aut in castris improbitatis stipendia, veluti Matthæus aliquis, aut Magdalena diù meruisset. Hoc nempè potissimùm decere illibatum hoc sacrificium Vir innocentissimus putabat: nempè, haud fœdare, & tergere; vt par immaculatæ Hostiæ Sacerdoti nitor contingeret. Porrò quòd nonnisi accersitus celebraret, accersitus verò ne quid moræ obedientiam delibaret, illicò accurreret; accidit, vt vocauerit semel æditiuus, cùm is non dum noxas de more eluisset. Conflictari hinc obedientiæ legibus, hinc studio purioris conscientiæ visus est. Quid igitur? palmam obedientiæ detulit, aduolauitque ad eam vocem. Sed dum iret, iuniorem quendam ex nostris Clericis offendit. Nec mora: pectus illi raptim, ceu confessario aperuit, euulgauitque vtcumque labeculas; ne omninò tacuisse videretur: quo quidem visa deleuisse obedientia, aut humilitas, dum ad Clerici pedes procumbit, quod non expiauerat pœnitentia.

Olympi) In celebrando puritas.

Hac animi puritate, cultuq; ad aram accedens, fieri minimè poterat, quin incredibili quodam affectu, ac pietate litaret. Planè, quę intimè arderet

Et in vultu ipso pietas.

deuo-

deuotio, veluti non caperet illam pectus, exundare in vultum ipsum videbatur: adeò vt mutari insolita quadam supra hominem specie, atque abire in vultum Angeli eius ora, contingeret. Id quod tùm maximè euenire consueuerat, cùm sublatum manibus Eucharisticum Christi Corpus, adorandum de more ostenderet. Videre tunc planè erat, affusa cœlesti quadam faustitate, ac gratia, veluti radiare Viri faciem. Dicebatque confessarius, si pingere Olympium vellent, non aliàs exprimi opportuniùs eius vultus potuisse, quàm quo tempore ad aram faceret: nempè cùm illos impleret, venustaretque religio, ac sua etiam adderet lineamenta diuinus amor. Ardor hic porrò, ac diuinorum gustus in piissimo Sacerdote, vt vehementer malum dœmonem æstu quodam inuidiæ cruciabat; ita is abrumpi illum, aut remitti, pro viribus conabatur.

Et scrupuli. Planè, vt sua cuique est ærumna, & crux, scrupulis diuexabatur Olympius: idque illum præcipuè sollicitum, anxiumque habebat, ne dum sacris operaretur, aliquid fragmentorum porrò auolaret, excideretue, aut aspectum fugeret cum tanti mysterii iniuria, ac dehonestamento. In iis proindè colligendis plùs solito immorari: accuratè anquirere, ac peruestigare: tùm si quid dubii oboriri contigisset, angi supra modum, torquerique vsque ad animi deliquium. Ob id cauerant Patres, ne extra domum, nisi cùm præcipua, aut Principum, ac sacrarum Virginum pietas posceret, celebraret; ac tùm quidem aderat sacrificanti cautus aliquis sacerdos, qui tempestiuè dubia, scrupulosque dissolueret: vti in regio Prætorii Sacello Neapoli accidit. Nam postquàm Lemensium Comitem Proregem,

regem, atque ornatissimam coniugem inter rem diuinam sacro Christi Corpore refecisset, atque in censum seruorum Diuæ Virginis transcripsisset, vellicari dubio cœpit, ac maximoperè vereri, ne calicis labro fragmentum adhæsisset. Visum turbari à fundo pectus: adeò vt quam cœperat ab ea piorum Principum religione voluptatem, absorbuisse prorsùs omnem præsens tristitia, videri posset. Sed adfuit opportunè socius; testatus, nihil se diuinæ mensæ reliquiarum, accuratissimè licet inspexerit, deprehendisse: quo ille tranquillari visus. Exercendæ viri virtuti, & vt suæ etiam essent in cœlestium deliciarum pelago procellæ, ac syrtes; permittebat hos animi æstus diuinum Numen. Sed inferno dæmoni, qui eosdem intendere motus animi, ac peracres cogitationes curabat, alia mens erat: nempè, vt dum is scrupulis exagitatus, secum ipse in sinu disceptaret, interturbata animi attentione, languesceret interim deuotio, atq; ardor ipse diuinæ charitatis remitteret. At enim qui molestissimum ærumnæ genus æquo animo ferebat Franciscus, vt nihil de interiore affectu, studioq; pietatis detractum ibat; ita aliquid ab insigni tolerantia in sui profectum deriuabat: meruitque aliquando, cùm maximè fluctuaret, vt non sine singularis cuiusdam beneuolentiæ significatione adesset præsenti ope Deus ipse. Illud hic non dissimulauerim. Rem diuinam in sacrarum Virginum monasterio, cui à Sapientiâ nomen, dum facit; aduertit, alteram pallam, quã nos Theatini homines ad commodiorem in colligendis præsertim fragmentis vsum ex vetere nostratiũ consuetudine, ac summorum hominum approbatione vtimur; haud quidem simplicem, ac læ-

Inter rẽ diuinam adest eius scrupulis Dei bonitas.

uem,

uem, vti moris nostri est; sed pinnulis eleganter ad oras distinctam, atque adeò retinendis intra minuta illa acus opuscula fragmentis, dum excuterentur, obnoxiam. Pulsari intimè, discruciarique vir in eius potissimùm rei cura delicatior: idque eò vehementiùs, quòd morari, aut mutari pallam, integrum, cœpto iam sacro, non esset. Ergo nil reliquum, quàm compositis iis animi fluctibus, poscere à Deo opem, ac pergere. Mirum sanè dictu: Panem vt ritè consecraret, manu dum tenet, animaduertit, pallam, quam exornatam modò viderat, pinnis, omnique operis elegantia omninò expertem. Solicitudinem excepit admiratio: gratesque Deo habuit, quòd quæ motum animi concitauerat operosior palla, hæc eadem mirè composuisset, exuto ornamento, & cultu.

Eiusmodi verò diuinæ beneuolentię argumentis, aliisque in missæ sacro dignatum deliciis persæpè fuisse, qui tanto ardore spiritus, atque intentissimo mentis studio celebrabat, falicè sibi quisque persuaserit. Verùm quòd hæc semotis arbitris, atque intra velum, cœlo tantùm teste, euenere, obruit suis tenebris humilitas. Illud non latuit, angelos aliquando litanti ad sacram aram non modò adstitisse, sed insolito quodam obsequii genere ministrasse. Id quod explicauerim alibi opportuniùs.

Hæc eius porrò ad aram religio vel ab ipsis Sacerdotij rudimentis manare in vulgus cœpit: accurrebantq; certatim omnium ordinũ homines, vt litantem cernerent, vsurparentq; ab ea manu mysteria: quod viro modestissimo oppidò molestum: cogitauitque tùm quidem de commutando domicilio, vt eam mortalium celebritatem abrumperet. Gliscente

Ad eius Missæ sacrificium concursus.

te verò in dies sanctimoniæ fama, incredibile planè dictu est, quò tandem concursus excreuerit. Cùm ad sacrum faciendum prodiret, sacris licet vestibus induto, innumeri penè se se obijciebant: prensare, insusurrare aliquid ad aures: hi stola, hi brachio detinere: eademque deindè, absoluta litatione, in Sacrario frequentia, eius opem, precesque implorantium. Quocirca decreuere tandem Patres, laboranti adeò Viri humilitati consulere: iussusque in sacrarij sacello, quò haud perindè facilis multitudini aditus, sacris operari; ac nonnisi in Conceptæ Diuæ Virginis solemnijs, aut cùm matrona aliqua princeps summis id precibus pietatis ergo postularet, publicè celebrabat: ac tùm quidem compleri templum, atq; æstu quodam efferuescere: & quòd persuaderent sibi, fore vt vberiore cum fructu Christi Corpus ab Olympij manu sumerent, haud iniri eorum numerus poterat, qui ad sacram Synaxim tunc adirent. Sacrarium deindè, vt nescit impedimenta, ac moras necessitas, cohibere celebritatem minimè potuit; irruebantque impetu quodam, cùm Franciscus faceret. Quapropter quòd senium etiam, ac valetudo effecerant, vt ægrè gradus eundo, ac redeundo emetiretur; interdicto penitùs exterorum accessu, celebrare in domestico superioris domus sacello, oportuit.

Nec sanè mirũ, ea mortales frequentia accurrere, ac preces efflagitare, cùm cęlestem Deo hostiam Olympius immolaret: quando scirent, efficacissimũ quidem ex se sacrificium, addi nihilominùs ab eius pietate, ardoreque animi non minimùm efficacitatis: vt facilè sibi quisque persuadęret, fore, vt quod ille immolando posceret, impetraret. Et ipse-

Nihil miſſa efficacius.

met nihil miſſæ ſacro actuoſius, nihil ad beneficia, opemque Numinis obtinendam opportunius putabat. In arduis præcipuè hanc ſacram anchoram deprædicabat; tùm, ſi qui preces à ſe poſtularent, miſſas, aiebat, celebrandas curarent: inde commoda exiſtere, inde mala, atque ærumnas depelli. Id ſemel Capuanæ Ciuitati accidit. Premebatur pleriſque Vuallonum cohortibus, quæ inibi, atque in circumiectis proximè pagis in hybernis detinebantur. Gens ea eſt ab Italorum moribus non parum ſanè diſſona: indole, cultu aſpera; augebatq; naturæ impetus, ac ferociam caſtrenſis licentia. Hi pleraque vltra ius, faſque vltrò admittere: nihil in foro, aut domibus tutum: placuiſſe, abſtuliſſe erat, iniecta manu, ac vi. Hinc paſſim turbæ, ac rixæ, ac nihil propiùs, quàm vt laceſſiti quotidianis iniurijs populares, arma vnanimi conſpiratione conclamarent, imbuerentque Vrbem mutuo cruore, ac cædibus. Igitur petendam diuinitùs opem rati, Magiſtratus, Franciſcum Olympium, gentilem nempè ſuum, compoſitis ad eum literis, appellant: quo res Capuana loco ſit, exponunt: tùm præſentem, tùm maximè impendentem ab Vuallonibus calamitatem vt fuſis ad Deum precibus auertat, rogant etiam, atque etiam. Ad hæc Ille: æquo animo eſſent: darent operam, vt ad Mariani Roſarij numerum, honoremque ter quinquies Miſſarum ſacrificia celebrarentur; ac fore, vt affulgeret Dei bonitas, ac publica Ciuitati fauſtitas. Quod quidem ita affirmauit, vt congeminatis quibuſdam etiam verbis, ſpem faceret omninò certam. Nec mora: cœptæ offerri victimæ: vbi ventum ad quartamdecimam, nec faceſſere eam hominum colluuiem

Capuanæ Vrbi ſacrificijs occurrit.

cer-

cernerent ; addubitare vehementer Capuani, ac penè opem desperare. At enimuerò peracto vix, quod supremum erat sacrificiorum, quinto decimo, ecce tibi Neapoli nuntius, qui Vuallonum copias euocaret: quo quidem defuncta Ciuitas est eo metu, ac malo. Gratulatus sibi nimio quidem opere successum Magistratus, Francisco, qui sacra imperauerat, ac certò etiam prædiuinauerat, acceptum beneficium retulit: ac re publicis tabulis ad æui fidem consignata, eius etiam literas asseruari in Vrbis tabulario voluere. An verò in ipsiusmet Olympij sacrificijs ingentem Neapolitani spem collocarent, præter concursus, quos modò diximus, illud etiam testatur, quòd afferri passim ad eius missam solebant indumenta, vela, amuleta, pia donaria, aliaque id genus, quæ postea pietatis ergo, ac recuperandæ, tuendæque incolumitati gestarent. Et adibant noui etiam Magistratus, qui togas suas, nempè vt auspicatò induerent, & sui officij, iustitiæque partes incorruptè administrarent, consecrari ab Olympio postularent. Hæc ille omnia, dum sacrificium obiret, sisti ad aram volebat: precabatur interim, vt ea cœlestis quædam virtus afflaret ad præsidium, tutelamque eorum, qui postea vterentur: vbi autem sacrum expleuisset, eodem vestium apparatu legitimis precibus, ac ritè consecrabat. Quæ quidem quotidiè contingebant: insumebatque in ijs tempus planè non modicum: cui adde subindè moram ab insigni, atque accurata religione, qua se ad id præclari operis comparabat, litabatque: tùm à senio, atque à corporis imbecillitate tarditatem; (nam perquàm lentè agere, atque interspirare identidem oportebat) subducta ratione, ternas

Neapolitanorum in Olympij sacra studium.

 cir-

circiter horas eius missa perdurabat.

Laborare hìc administri patientiam, facilè erat. Quis enim sine tædio per id temporis spatium operam sacrificanti commodaret? Quocirca vehementer solicitum ipsa sua prolixitas habere Virum modestissimum poterat: veritum, ne absterreri ea mora socium contingeret, aut non adeò alacriter inseruiret. At enim occurrit opportunissimè huic molestiæ diuina bonitas, quo maximè tempore accisæ nimiùm vires, atque ætatis infirmitas trahi in longum litationem cogerent. Annos siquidem ante eius obitum omninò decem Clericus quidam ex nostris ea illi alacritate administrare instituit, vt sacerdotio postmodùm initiatus, abstinere ab officio noluerit. Fuit is Franciscus Pepolus ex illustri cum primis gente Bononiensis: dignus planè, qui raptim hìc saltem memoretur ea potissimùm de causa, quòd mutatis vitæ rationibus, & aliā veluti in scena, personam induerit, & euaserit omninò alius: vt dici de Francisco Pepolo optimo iure possit, quod de Sylla Valerius Maximus affirmauit: nempè quòd ita à se mutatione morum recesserit, vt non vnus, sed duo fuisse Pepoli videri possent. Etenim antequàm daret Religioni nomen, si Alphonsum Comitem (sic nanque appellabatur) inspicias; nihil illo ab insita indole, aut solutius moribus, aut ira immanius. Præfracto, ac peracri vir ingenio ferro, ac cædibus gaudere: quicquid est citra Padum Cisalpinæ Galliæ, totamque penè Flaminiam terrore compleuerat: interminari, vlcisci, miscere omnia: exulabatque à plerisque vrbibus, ceu publicæ tranquillitatis, ac non vnius criminis reus. Remisso deindè rebus humanis nuntio, nihil


Franciscus Pepolus describitur.

eo

eo religiosius, modestius, mitius; resediţque ardens nimiùm indoles, veluti Alphonsus ille non vtcumque abdicasset, sed viuere penitùs desijsset. Ordinem Genuæ iniuit peculiari quodam instinctu Numinis. Illatam siquidem sibi à viro quodam iniuriam, arbitratus, vt erat in eiusmodi animi motibus æquè impatiens, ac vindex, eò efferbuit, vt incendere viri villam decreuerit. Ergo noctu vim nitrati pulueris ad id excidij eò attulit: at domum igne absumendam dum quærit, etsi quàm diligentissimè peruestigaret, nusquam ea occurrit domus; quoad sub primam lucem, cùm abijciendum consilium fuit, ne detegi facinoris auctorem contigisset, ob oculos fuisse ædes aduerterit, quas minimè viderat, Quo quidem moneri diuinitùs censuit præposteræ suæ mentis, morumque licentiæ; ac statuit tùm quidem, suscepto religionis consilio, proram obuertere, atque alijs se se ventis permittere. Quòd autem notæ vir indolis, qui omne æuum ferro triuerat, haud facilè sacram aliquam familiam reperisset, quæ exciperet; id omni ope contendit Alexander Cardinalis Estensis, Theatino nomini addictissimus, cui ille persamiliaris, vt inter nostrates adoptaretur. Tyrocinium, in quo maximè emolliendum ferox ingenium, frangendique naturæ impetus fuere, insigni cum laude pietatis, regularisque disciplinæ studio posuit: visus profectò ex spirante minarum, & cædis Saulo in Paulum euasisse, atque à simultatibus, armorùmque vsu præferuidum spiritum ad Dei charitatem, atque exercitamenta virtutum traduxisse. Nuncupatis votis, Neapolim in Sanctorum Apostolorum cœnobium Maiorum nutu concessit, libens quidem, ac volens

eo

eo nomine, quòd inibi Franciscus Olympius moraretur: atque eam sibi statim demandari prouinciam petiit, vt quotidiano Serui Dei sacrificio ministraret: quo quidem in munere nunquam visus, aut mora temporis lassari, aut languescere fastidio: quin Sacerdotio, vti innuimus, insignitus, quo tempore defungi Clericos nostros eiusmodi ministerio contingit; non ipse abstinuit; continuauitque sacris etiam subindè confessionibus admotus, ac vocum suffragio cohonestatus, cùm canescerent item ab æuo tempora: ac dicere solitus erat, se quidem pluris facere Olympio in re diuina ministrare, quàm quicquid gradus, honorisque consequi in Ordine, aut foris posset. Obiit is quàm religiosissimè in eadem domo; sequutus intra annum amantissimum Patrem; nempè vt cœlo etiam, si fieri id posset, facienti ad æternam eam aram Sacerdoti suo perpetuus minister adesset. Hactenùs de Francisci Olympii in faciendo sacro apparatu, cultuq; religionis: reliquam eius aduersùs sacram Eucharistiam obseruantiam in loco exponemus.



Tyro-

Tyrocinio præficitur, eiusque administrandi modus, & ratio.

Cap. VI.



O statim regularis obseruantiæ studio, ac vsu præstare aliis Franciscus visus est, vt in ipso iuuentæ flore idoneum reputauerint Patres, quē formandis aliorum moribus admouerent. Enimuerò quod nonnisi veteranis, & qui in religiosæ disciplinæ castris stipendia diù fecerint, tribui munus solet, nempè Nouitiorum procuratio, ac regimen; datum illi planè maturiùs, renunciatusque Magister est vix Sacerdos. Quo quidem Maiorum iudicio nullum luculentius de eius morum præstantia testimonium: veluti flauesceret id ætatis aurea in eo virtutum seges, cùm illam suo in flore vix adpromitterent alii. Magni quidem momenti in sacris Familiis semper fuit tyronum educatio. Hinc robora, ac firmamenta Ordinum: hinc in Sodalitatum corpus, ac membra sanguis, color, sanitas: nempè si Institutis, moribus, pietate probè informentur adolescentes: si secus, exitium inde, ac pestis, crescitque soluta iuniorum indoles ad commune Ordinis malum. Eapropter præcipua apud religiosos viros cura ea est, vt in spem egregiæ disciplinæ excolatur quàm studiosissimè nouitia hæc soboles. Excolitur autem potissimùm periti Magistri artibus: magna quippè disciplinæ pars, optimum Rectorem contigisse. Qui quidem emineat ipse primùm innocentia morum, atque

Tyronū procurationi admouetur.

Quę Magistri partes.

atque opinione virtutis, necesse est: Frustra enim imprimere in aliorum animis magister contendet, quod ipse priùs non expresserit eximia vitæ probitate. Post pietatem, ac mores peritia accedat, tractandorumque animorum vsus. Compertum siquidem est, plerisque præclara licet adiumenta virtutum insint, si illos experientia destituat, ludi operam: ac nihil vnquam frugis ab herbescente tyronum virtute extitisse, si in eiusmodi moderatoris imperitiam inciderint. Pernecessaria item mentis quædam solertia, vt nouitiorum genium, naturæq; propensionem, ac vim dignoscat. Alia quidem indoles alia fingi ratione postulat. Ingenium huic facile, ac sua sponte it, quò trahitur: lentum illi, ac stimulis excitandum. Hic præparci, angustique animi: audentior ille in arduis capessendis, ac quātæcumque virtutis capax. Actuosior alius; alius contemplationis, ac recessus naturà cupidus. Cum his non vnus, idemque agendi modus, ac ratio adhibenda: pro captu, animique habitudine informandus quisque est. Nam & diligens agrorum cultor, vt non omnis tellus fert omnia, pro soli genio semina, fruges, arbores terræ mandat, vt proueniant. Idemq; de nouitiorum dicendum vitiis, quæ cum cætera naturæ indole è fertilissimo noxiis eiusmodi herbis seculo in tyrocinium asportant. Alius alio laborat malo, extirpanda à singulis singula; sed discriminatim, diuersisque planè artibus. Experrecto igitur, erectoque ingenio Magister sit; vt opes naturæ omnes, vires, propensiones, vitia, & quæ maximè in fundo latent, peruadat, exploretque; nempè vt suas cuique virtutes inserat, sua euellat funditùs vitia. Ad hæc, sit & animo,

In dignoscenda indole solertia.

animo, & aspectu grauis, vt reuerentiam incutiat intuentibus. Oris verò speciem, rigoremque temperet comitas: ne ab adducta nimiùm fronte in metum degeneret reuerentia. Id nanque in educanda sobole cùm primis cauendum Parentibus, ne nimius timor plumbeos efficiat filios, quos beneuolentia, ac amor aureos facit. Charitate deindè polleat, quæ patiens, ac benigna est; & qua ferre, atque emendare studeat, quas secum afferunt prauas consuetudines Nouitij. Reputet nanq; secum ipse, necesse est, rudes, informesque, veluti ad quandam officinam expoliendos, elimandosque accedere: complecti propterea illos, par est, ac tolerare vitia, vt corrigat: quodque magnoperè ad formationem morum facit, attemperare se eorum indoli debet, ac fieri omnia omnibus, & quandoque cum pueris puer ingenio charitatis. Quod ad corporis, animique afflictationes pertinet, doceat quidem internis, externisque rigoribus assuescere; Sed suus sit ijs modus, ac laxamentum, ne valetudinem delibet intenta nimiùm asperitas. Æquè præsertim omnes amet, omnibusque prospiciat Magister: non hunc molliùs, illum seueriùs habeat: lædit quippè vniuersos singularis eiusmodi affectus. Si quid verò operæ, ac laboris nauandum; præluceat ipse pro viribus facem, vt incendat, subdatque exemplo stimulos. Virtutes item neque magnificè ostentet; sed neque omninò abscondat; vt non modò præcepta, ac monita tyrones audiant; sed & præclaros actus videant, vt imitentur. Ad extremum is sit Nouitiorum rector, qui ita curet magna, vt minuta minimè negligat: ita eorum animos fingat, vt externum etiam hominem, vultum, incessum, gestus

Mixta seueritati comitas.

F com-

componat: ita sibi vacet, vt curas suas omnes tyronum profectui voueat; ac meminerit, sibi deindè adscribenda, quæ illi peccauerint: quod Philosophus ille, magnoperè laudatus ostendit, qui, exerrante ephebulo, non illi, sed præceptori alapam impegit: veluti plectantur meritò Magistri, quicquid delirant adolescentes.

Atque hæc, quæ generatim, ac leuiter duximus lineamenta, videntur planè Franciscum Olympium in procurando tyrocinio ad vnguem descripsisse. Ætas illi quidem intra iuuentam, grauissimo muneri impar; sed quam excellenti quodam genere solertiæ, atque exaggerata quadam virtute abundè suppleuit: vt assuetus longo vsu eiusmodi magisterio, factusque ad aliorum disciplinam videri posset. Illud princeps in eo studium, vt exemplo præiret, sanciretque opere præceptiones. Hinc labores non modò vnà simul obire; sed occupare strenuè. Quas adprobare tyronibus, atque inserere virtutes vellet; curabat, arrepta non segniter occasione, vt illas exerceri à se priùs cernerent. Egressus aliquando domo cum Nouitiorum classe pomeridianis horis, vti moris est animi causa identidem egredi, rediit post Angelicæ salutationis signum: quod cauetur omninò nostris; præsertim quòd sepositum id temporis vespertinæ meditationi est. Ergò monere subasperè eius moræ Præpositus, ac supercilio agere: tùm Olympius, deceptus hyberno sole, excusare licet præcipitem diem posset, noluit: sed coram tyronibus humi deiectus, intimo quodam sensu fateri culpam maluit. Nec satis hoc illi: nam, vt confessario postea denarrauit, vellicari vehementiore quodam morsu sensit, quòd non se grauiùs, altisque cla-

Olympij in regendis Nouitijs prudentia.

Exemplo præit.

clamoribus accusasset: nempè vt reliqua etiam domus audiret admissam à se noxam, ac facinus. Qui nanque alumnos suos ad humilitatem, suique maximè despectionem componere contendebat, id perficere planè efficaciùs documento sui curabat. Ille verò opportunus adeò in teneræ eiusmodi indolis formatione, quem modò diximus, seueritatis, ac facilitatis nexus, dici vix potest, vt viri prudentiam commendaret. Nihil eius vultu grauius, nihil deindè gratius, atque ab insita quadam serenitate, hilaritateque iucundius. Consona fronti verba, nunc aspera, nunc byssina pro tempore. Ita increpare, vt ipse in corrigendo rigor placeret. Negare ad exercitium virtutis; tùm benignè annuere: nec deerat comitati suus ad incitandum stimulus. Æstiuis caloribus cùm maximè diuexaret sitis, aquã aliquando si peteret æstuans pubes; negabat dura fronte: vbi eo renutu aliquantisper eorum tolerantiam probauisset, afferebat ipsemet placidissimo vultu frigidam. Quidam ex tyronibus, quòd nunquam externam eius oris speciem mutari, ac nihil in eo præferuìdum cerneret; destitutum neruis, atq; acrimonia virum putauit: atque adeò nihil ab nimia ea mansuetudine timendum; ac quemque exerrare impunè posse, sibi persuaserat. At enim suo statim malo aduertit, latere aculeum, ac suos esse sereno interdum cœlo fulgurationes. Siquidem cùm nescio quid culpæ, quæ leuis videri poterat, admisisset, sensit mox à tergo increpantem non leuiter: idque non acri vultu, ac voce; sed occulta quadam vi, qua visus exardescere blandè seuerus. Atque hac quidem mixtura morum nihil, quod sibi inconcinnum in suis videretur, dissimulabat: nihil

Mixtura in eo morum.

omittebat dignum pœna, quod non mulctaret. Tyronum nescio quis, dum extra domum deambularent, licere sibi voluit è vicino horto fœniculum sumere. Nihil quidem hoc damno leuius: at non leue Francisco fuit, disciplinam lædi. Erratum graui obiurgatione vindicauit: neque hac contentus pœna, vespere abstinuit ipse tota ferè cœna; vt illatum à Nouitio olitori damnum, sarciret eo pretio. Deprehendit aliquando, qui pium librum legeret innixus muro pedibus: monuit illicò reuerentiæ, quæ deceret legentem sacra: nec impunè id voluit: iussit nanque, vt nixus genibus, diutiùs eo corporis habitu legendo perstaret. Quidam itidem ea Diui Bernardi verba: Cella quasi cœlum tibi sit: ceu quodam ioco pronunciauerat: audijt ipse; nec tulit in tàm seriis ludi; damnauitque in vestigio temporis intempestiuiùs nugantem cellæ, ac solitudini solidum diem. In istiusmodi animaduersionibus, vt partus suos non quidem delicatè, sed viriliter, & quibus robur deindè spiritus esset vorandis aduersis, educaret, multus erat Franciscus: alioqui mitissimus, vti significaui, atque adeò blandus, vt subactus quodammodò, aut dilutus suauissimo quodam nectare charitatis videri posset.

In tyrones charitas.

Et verò quod ad hanc erga alumnos suos dilectionem attinet, nihil eo studiosius. Ter saltem in die singulos sua quemque in cellula inuisebat: appellare comiter, monere: si quid indigerent, vltrò offerre, vltrò afferre; matri profectò similis, si affectum metiare; si in eorum commodis procurandis sedulitatem famulum diceres, planè expeditum, ac nauum. Aequa deindè lance sui studium, ac operam distribuere. Præter admodùm adolescentes,

quo-

quorum ætati paulò indulgentior; cœteros pariter, eodemque charitatis sinu complectebatur. Nullum à natalibus, à patria, ab ingenio apud ipsum discrimen. Eodem omnes patre, ac stirpe genitos, eadem natos patria putabat. Miscet nempè, confunditque nomina, ac genus charitas. Hæc porrò indoles indifferens, ac media vel in rebus ipsis, quæ animæ commoda spectarent, inerat illi penè à natura. Quo maximè tempore angi scrupulis, ac supra modum æstuare dubijs mentem contingebat, eius conscientiam quidam Confessarius ea solertia temperabat, vt ad peracres animi sui morsus leniendos nihil ille duceret opportunius; ac dicere solitus erat, hominem sibi cœlitùs datum, rectorem nempè fluctuantis conscientiæ quàm peritissimum. Nihilo tamen minùs, vbi is, siue ad experimentum, siue curis alijs districtus, illum monuit, vt alium cogitaret Confessarium; non aliquam testari vultu tristitiam visus; non preces expediit, vt continuaret; sed in ea duntaxat verba respondit: Modò nō Confessarium ipse deligam, quisquis ille fuerit, scito, fore mihi gratissimum.

Quæsitissimus deindè rerum ordo, ac distincta quædam temporum, atque actionum series in eo tyrocinio cernebatur: vt statim diceres, à Sapientissimo regi. Animorum vnio, ac charitas incredibilis: certamen de humilitate, ac de virtutum studio erat. Quicquid Magister præcepisset, non modò nullus detrectare; sed vt obsequentior quisque videretur, occupare imperata contendebant. Obedientiæ legibus constare maximè Societates ratus, vt hanc potissimùm virtutem altè imprimeret, cuncta ab suo nutu pendere, aut confici, curabat: proindeque

Quid illos potissimùm doceret.

deque

deque nullus eo inconsulto, aut inscio aliquid priuatim, publicè agere: sed neque effigiem Diuorum aliquam ex vno in alium cellæ locum trasferre audebat. Quam in suo rectore paupertatem Nouitij cernerent; mirum est, quo studio complecterentur. Abrasa à cella, à vestibus ad cutem superflua: cui malè sartum, ac vetustius indumentum, ille ornatum se splendidiùs putabat. Parsimoniam ijs vsq; adeò ad cor, vt vel ipsa numerarent ellychnij fila, ne nimium olei combiberet, atque absumeret flamma. Si de Ecclesię cultu agitur, ac nitore Sacrorum; cerneres, & nihil impensiùs curare Olympium, & tyrones, eo auspice, nihil nauare studiosiùs, ac elegantiùs. Planè in ipso rerum initio non adeò Sanctorum Apostolorum templum sacrũ instrumẽtum, suppellex, syrmata commendabant; vti modò honestari, ac penè superbire cernimus: attamen perindè eleganter, ac concinnè exculta ibi omnia, vt citra aurum, ac gemmas, effulgerent quàm splendidissimè parietes ipsi, ac aræ: eòque Neapolitana nobilitas, quòd mundissimus inuitaret cultus, & nitor, celebrandis solemnioribus per annum sacris accurreret: Nempè religiosa Nouitiorum pubes, præsertim ex Olympij schola in id maximè incumbebat, vt quamuis non opes, ac sumptuosæ ex auro laciniæ altaria conuestirent, niterent nihilominùs à simplici quodam ornatu, ac studio.

Magisterio functus.

Tyrocinia hac disciplina morum diù rexit: impetrauitque tandem, emerito eiusmodi magisterio, missionem. Scilicet, præfecturæ, non adstrictioribus se se vitæ rationibus subducere curauit. Nam quod ad studia virtutum, morumque attinet, ita postea agebat, ac si rudimentum spiritus tùm qui-

dem

dem poneret, ac nouissimus tyronum esset. Id illi grandiore iam natu accidit. Marcellinus Oda, Præpositus Generalis, seruantissimus regularis disciplinæ vir, dum Sanctorum Apostolorum cœnobij inspectionem obiret; vt florentissimum in ea domo tyrocinium ad magna eniteretur, optimum factu putauit, si Franciscus vnà cum Nouitiis iis ageret; ratus, fieri vix posse, quin inspecta illi cominùs perfectissima virtutum idea, ad earum amorem vehementer accenderentur. Ergo eius consilii virum monuit: qui quidem pristinis se se vigiliis, ac rectioni admoueri putans; angi, ac conflictari sensu non mediocri cœpit; verùm vt audiuit, non magisterio, sed contubernio, exemploque se destinari, nimiùm, quantùm exhilarari visus fuerit. Adiit incredibili quadam alacritate locum: tyrocinii leges ad vnguem seruare; quæ Nouitii obirent munia, accurate & ipse obire iam senex: parere, subesse, veluti vnus ex ea esset iuniorum classe: continuassetque in eo vitæ genere, nisi afflicta nimiùm valetudo, ac frequens virorum procerum interpellatio cursum illum abrupisset. E cuius deindè disciplina quinam extiterint viri pietate, moribus, Insulis etiam conspicui, prolixius planè esset hic recensere. Vnum ad specimen non omiserim, nempè Iacobum de Stephano Neapolitanum, cuius ipse virtutes non adeò ieiunè in nostris historiis descripsi; fuitque, qui illas Commentario perdiligenter exceperit. Is cùm incitatissimos in animorum quæstum spiritus probasset semper; tandem veluti non caperent Europæ fines magnæ animæ impetus, exhaustis terra, marique itineribus, longè positas Asiæ regiones peruasit. In Orientali Iberia nullum non flagrantissimæ cuius-

Cum Nouitijs ad exemplú versatur.

Iacobus de Stephano ab Olympij schola.

cuiusdam indolis documentum edidit. Christi Euangelium, Romanamque fidem vt dissèminaret, ire, redire Apostolicum in morem. Non ardua montium, non syluarum horror, ac vastitas absterrere, quo minùs eundo huc illuc consepultis alta caligine mentibus lucem faceret orthodoxę religionis: audiuitque meritò Iberiæ Apostolus. Spiritum ibi posuit, vbi tot laboribus, ærumnis, vigiliis, peregrinationibus Christiani nominis dignitatē mirificè propagauerat. Eius non ita post multò ossa Franciscus Maria Maggius ex nostris, Georgiani & ipse noualis impiger olim cultor per infinita propemodùm locorum spatia, atque incommoda Messanam, vbi Viri virtus percelebris, asportauit: exceperuntque pios Manes Ciues solenni parentalium pompa, gratulati sibi summoperè magnum Cinerem; non secus ac, si is ipse rediisset, qui Vrbem olim suam egregiis curis, atque eximia laborum contentione demeruerat. Attulit & Maggius in Italiam vnà cū iis ossibus quandam Sanctissimæ Trinitatis effigiem, rudi quidem schemate, vtpote charta expressam; sed cui pretium fecerat Franciscus Olympius, qui Iacobo dono illam dedit, quo is die Religionem iniit. Hanc postea insigni pietate Iacobus coluit: & compertum habemus, eius ope tùm per Aegæum mare, tùm in Iberia, Perside, Arabia à fluctibus, à barbaris, à viarum abruptis ingentia effugisse pericula. Cuius etiam præsidio Maggius ipse pleraque cùm sibi, tùm aliis collata beneficia memorat, eamque ad quandam decentiam argento exornatam in honore habet, non sine quotidiano, præsentique mortalium fructu. Nempè peculiarem quandam illi impetrarunt efficaciam cùm Olympius,

pius, qui dedit, tùm Stephanius, qui diù coluit; & qui in celebri Francisci schola ad pietatem eruditus, suis deindè moribus ostendit, veluti ex vngue, qua floruisset virtute, quod ille administrauerat, tyrocinium.

Actuosa Francisci vita. Cap. VII.



T si in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, hoc est, in Christi Domini vulneribus, atque in ipso præsertim eius latere, quò se Sponsi sui voce inuitari intimè sentiebat, commorari tranquillissimè, ac procul mortalibus optabat Franciscus: nihilo tamen minùs non ita beatissimo Magdalenæ otio ad Saluatoris pedes sedendo, ac quiescendo frui potuit, quin spargeret se se ad publica etiam hominum commoda cum Martha. Planè auelli á cellulæ solitudine, ac secessu mentis sine graui quodam sensu non poterat, quem vultu ipso, tùm gemitu identidem, ac suspirijs testabatur: vt diceres, nihil illi molestius, quàm relictis veluti tentorijs, ac vmbra, in solem, ac puluerem prodire. Verùm ita deindè externis se se curis permittebat, veluti nihil esset illi iucundius, quàm vitæ operosioris exercitia, & commune proximorum bonum. Abscondi, ac sanctioribus ijs gaudere tenebris, timor profectò is erat, ne in ea, mortalium luce aliquid caperet detrimenti humilitas, afflaretque piorum operum præstantiam noxio quodam halitu publicus fauor, ac aura. Cæterùm,

Operosa Olympij agendi ratio.

vbi de salute animorum, de ægrorantium, aliorumque miserabilium hominum siue solatio, siue ministerio agebatur, alacrem nauare operam vir flagrantissimus videbatur. Accurrebantq; passim ex omni hominum censu, qui aut consilium, aut auxilium in rebus difficillimis efflagitarent: aderat ipse omnibus: & qui perparcus alioqui verborum erat, facundissimus in eiusmodi proximorum necessitatibus videri poterat, ac peculiari etiam vi quadam præditus in tranquillandis conscientijs, ac componendis potissimùm animis, aduersæ fortunæ motibus diuerberatis. Et quibusdam antequam ærumnas suas ad remedium aperirent, ceu longè antea nouisset, medicinam vltrò faciebat: accidítque hoc sæpè, vti in loco dicemus, cùm de superiore eo lumine, quo ad secreta imi pectoris pertingebat, agemus.

In adiungendis verò Deo mortalibus, eorũq; animis procurandis, ac cõmuni in primis pietate amplificanda multus erat Franciscus, si studium, ardoremq; zeli spectes. Nam licet ijs artibus destitutus videri posset, quæ præcipua indipiscendorum animorum instrumenta sunt, publicæ nempè vocis, sacręq; eloquentiæ vsu, ac scientiarum præsidijs; compensabat nihilominùs hæc ipsa eo, quo poslet, modo priuatis monitis, quibus maior interdum ad virtutum frugem vis inest. Hæc autem monita vt opportunè instillaret, intentissimus in omnem rei benè gerendæ occasionem videbatur: ac præterea pia quædã donariola elargiri solitus erat; nempè pictas auro, ac minio, quas sua ipse manu effingebat, imagines: tùm grana, ac numismata piacularia, libellos, flosculos, quos Mariana ara consecrauerat,

In excitandis ad pietatem mortalibus industria.

rat, atque id genus alia; quæ dum dono daret, accipientes ad pietatem informabat; adhortandoque priuatim, ac cominùs, fructus demetebat planè mirificos, fallente nunquam eloquentia: vt plures ipse de plano, atq; ad aures veluti insusurrando, quàm alij è superiore loco splendidè declamando, Deo, virtutique asseruerit. Narrantur à familiaribus istiusmodi adhortamentis pleraque conceptæ virtutis, ac pietatis exempla. Referam vnum, aut alterum, quòd aliquid habeant admirabilitatis. Stephanus Tironus, honesto vir loco Olympium semel conuenit, rogauitque, vt quando apud primarios Neapolitanæ Vrbis Magistratus eximia valeret gratia, iuuaret officijs apud ipsos nescio quid sui commodi. Ille, cui non fluxa fortunarum incrementa, ac bona, sed opes animi curæ erant; oblatam vltrò occasionem, iniecta veluti manu, arripuit. Et te, inquit, meminisse, æquum est, mihi Dei seruituti mancipato, æterna duntaxat, atq; animorum negotia cogitanda, aut curanda. Quæ mundus deperit, peritura ea sunt; ac emarcida: &, si rectè calculum ponas, irritamenta malorum. Aurum, opes penè è faucibus Inferi erutæ, eò irreparabili ruina animas trahunt diù cruciandas. Ne te fulgor ille amabilis perindè, & noxius diuitiarum capiat: ab ea luce æterna sæpè nox, ac ignis vsque ad perditionem deuorans. Hæc flexanima vi dicendi dum inculcat, perculsus horrore, ac metu quodam Stephanus, vehementer tremere, vt olim ad Pauli verba Felix: adeò vt domum reuersus, dum mutatam, pallentemq; oris speciem aduertunt, ac causam familiares rogant: Me miserum, inquit, perij: Interos mihi penè aperuit Olympius ardore

Et sermonis vis.

linguę: periculum à diuitijs, earumq; curis ob oculos posuit: hinc per ossa tremor, ac consternatio, vt reciprocare animam vix potuerim, perduretque etiamnùm metus. Atque hæc quidem admonitio non mediocri quidem emolumento viro fuit. Nam is postea diuinis rebus, æternæque saluti impensiùs vacauit. Illud etiam notatu dignum. Iuuenis quidam, nostro Ordini addictissimus dare illi nomen statuerat, sed mutata subindè mente, alium Neapoli inijt. Is à lœtiore quadam naturæ indole ita suo se genio permiserat, vt laxiùs viueret, quàm adstrictior sui Instituti ratio posceret: pulsabatque nihilominùs animum intima quædam vox, qua moneri disciplinæ, atque officij sentiebat. Ergo quòd Franciscum Olympium nouerat, conuenire illum, vitæque suæ rationes cum eo communicare ad remedium constituit. Qui quidem apprehensum manu Iuuenem, dum sic illum ad horæ quadrantem detinet, ad suæ disciplinæ laudem, amoremque, ac diuinorum gustum mirificè inflammauit. Enimuerò fassus is ipse disertè est, quo tempore manum ille detineret, moneretque; ceu fluuium quendam igneum affundi vberiore quadam vena à brachio ad ima ipsa præcordia sensisse; indeque ardorem concepisse non vulgarem; quo nihil ipsi postea potius fuit, quàm regularis disciplina, morum cultus, ac proximorum salus.

In ægrotos propensio.

Sed neque frugiferis in eiusmodi sermonibus, ac monitis visa Olimpij nauitas sistere: opera, ac manu æquè actuosus. In ægrotos præcipuè inerat illi naturæ quædam propensio; vt in delicijs poneret, inuisere, consolari, inseruire. Semel vt humilitati operaretur, conclaue quoddam domus, vbi è Lai-

cis

cis fratribus aliquot domestica obibant munera, ingressus, atque humi deiectus, exosculari singulorum pedes cœpit: inter quos & valetudinarium conspicatus, ac libasse osculis vestigia minimè contentus, in eius etiam manus inuolauit, prensauitq; eo statim elogio: Felices manus, quas decumbentium ministerio mancipauit, deuouitque pietas: fouere, atque erigere strata morbis corpora: malis ipsis veluti immisceri, ipsasque tractare sordes, hoc splendidum, ac non vulgare operis pretium. Et verò nihil illi prius, quàm, si qui domi valetudine laborarent, perhumaniter adire. Si quempiam decumbere serò resciuisset, veluti peccasset desidia, moræ veniam principe loco ab infirmo postulabat. Illos verò inuisendi hæc potissimùm ratio. Inutilia, & quæ tenùs auribus oblectarent, facessere iubebat. Opportunissimum leuando corpori, atque animo pharmacum reputabat, sermones de diuinis rebus miscere. Ad hæc, vt à patientia mitesceret morbus, tolerantiæ laudes proponere. Sedulò etiã ministrare, atque eò studiosiùs, quò fœdiora, ac viliora manus prouocarent. Denique quo animi sensu id operis obiuisset, vt ostenderet; impressis ægrotantium pedibus osculis, abibat. Nempè nescio quid sacri, ac sancti, aut quædam Christi Domini deuenerari simulacra putabat, cùm infirmos inuiseret, cultumque osculo testabatur. Cum exteris par studium, sedulitas, ardor. Compertum id Neapoli: & quòd nunquam sine fructu Olympii accessus; euocare certatim infirmi: putabantque, leuamento malis fore vel ipsam duntaxat Viri præsentiam. Ire ipse labore, aut tædio nunquam fractus: ac sæpe dum operam vni daret, accurrendum

Eos inuisendi ratio.


alteri

alteri fuit; vt non adeò interdum facile esset, partiri seipsum, ac tempus. Et Moderatoribus quidem domus, cùm multi simul mitti Olympium postularent, labori, curæque erat non mediocri, morem subindè omnibus gerere, ac Serui Dei operam, pietatemque ex æquo distribuere. Porrò, etiam si longiùs interdum ægri abessent; eòque emetiri prolixius iter, opus esset; pedes ibat, quoad ætas, ac vires corporis constitere. Labefactatus deindè senio, ac morbis, imbecillitatem suppleri curru, oportuit. Quod illi sanè molestissimum, qui fastum, honoremque omnem, ac non modò sui commodum, sed eius etiam speciem summa ope auersabatur. Neque verò nobilibus duntaxat viris egregiam hanc operam nauabat: quo quis pauperior, atque à morbi genere miserabilior, eò libentiùs adibat; quòd is sibi referre Christi vultus lineis propioribus videretur. Transeundum illi persæpè erat publica quadam via, vbi vili in contubernio, ac stramento hydropicus quidam, ac membris captus miserandum in modum iacebat. Hunc, quoties illac transiret Franciscus, inuisere, ac consolari, ac munusculo etiam aliquo recreare solitus erat. At enimuerò actuosam eiusmodi aduersùs ægros virtutem, ac studium nullibi explicari illustriùs, ac pulchriùs, quàm in publicis malorum conceptaculis, hoc est, hospitalibus ægrotantium domibus, ac nosocomiis contigit. Hæc nempè pulcherrima illi theatra, ac peropportunæ ad fortitudinis, patientiæ, charitatis exercitium palestræ: hìc à multiplici corporum clade, à miseriarum Iliade, à morborum illuuie vberrima virtuti seges. Adibat præsertim Neapoli Insanabilium nosocomium; aream profectò eius pietati non

im-

imparem. Quid hìc excellentis virtutis nauauerit, quid vorauerit incommodi, quid patrauerit miri, quæ dederit flagrantissimi spiritus documenta, dicemus in tempore, cùm de Viri charitate sermo erit. Vindicat hunc nempè sibi locum ardens ea virtus, quæ quicquid vspiam morborum, atque ærumnarum est, sui iuris putat. Atque interim hæc delibasse de operosa Olympii vita, sat fuerit.

Contemplatiua Francisci vita.
Cap. VIII.



EXPLICARE seorsim superiore capite externa Olympii opera, pernecessarium duxi; ne dum hìc contemplationis studium, ardorem, contentionem, assiduitatem memoro, putet quis, totum se illum meditationi, beatoque mentis otio permisisse: proximorum verò curas, actionemque prorsùs omnem ablegasse. Planè licet non adeò se parcè mortalium commodis dispensauerit Viri nauitas: nihilo tamen minùs si Olympium cū Olympio componas; agentem, videlicet, cum contemplante; illum comperies interiori mentis exercitationi intentum vsque adeò fuisse, vt dicas, aut nullam operosæ virtuti, aut exiguam certè operam nauasse. Visus profectò non tàm ad laborem, quàm ad volatum, hoc est, diuinorum commentationem factus. Volatus hic autem illi, vt non sine externi operis, actuosæque vitæ motu, ita generosiorum instar auium fuit, quæ tacito, immotoque penè alarum remigio, ac quodam sui libramento, & quàm

Contemplationi addictissimus Olympius.

tran-

tranquillissimè, & quàm altissimè ad sydera velificant. Iam verò quantùm contemplationi dederit Dei Seruus, hinc planè compertum, quòd cùm horis non ampliùs quatuor, & viginti distinguatur diei, ac noctis spatium, subducta is ratione, octodecim omninò quà mente, quà voce orando insumeret: senis duntaxat horis quieti, refectioni, ac reliquo corporis cultui sepositis. Dato antelucanis laudibus signo, statim ad diuina mentem appellere, ac templo insistere vsque ad communis mensæ signum: quo interim tempore, aut facere ipse ad aram, aut aliis facientibus adstare, aut psalmos, hymnosque in Odèo modulari, aut priuatis litare precibus, ac cœlestia tacitus commentari videbatur. A mensa templum repetebat, quoad silentii signum receptui de more caneret. Modica deindè quies per æstatem; tùm pomeridiana iterum oratio: hyeme verò exigua à silentii signo intericcta temporis mora, vespertinæ horæ ad Chorum reuocabant. His expletis, perstare nihilominùs aliquantisper ad sacram Eucharistiam: tùm cellulam repetere; & aut percurrendis piis libellis, quod quędam etiam oratio est; aut sacris imaginibus minio, auroque exornandis, quod illi leuamentum aliquod, operam dabat. Vespere ad communem orationem ita conueniebat, vt ad cœnam produceret preces. A cœna vnà cum aliis templo item aderat ad gratiarum actionem; vbi prolixior subindè ad prouectam iam noctem mora, ac contemplatio. Membra postmodùm ad quietem componebat: nec vltra tres horas nocturna ea quies, ac somnus. Hæc fermè eius vitæ ratio, ac distributio: vt facilè intelliges, si tempus quadripartitò diuidas, vix quartam

Cósueta illi commentádi spatia.

eius partem curando corpori, externiſque curis illum tribuiſſe: reliquum preces occupabant. Teſtis ipſe Odêi locus, in quo is orare de genu conſueuerat, quem cernere erat ab aſſiduitate, vſuque excauatum, ac mirè detritum. Solemnioribus verò per annum diebus, cùm ſcilicet feſtæ lucis religio accenderet vehementiùs animum; nimiùm, quantùm neruos in hoc meditandi ſtudio contenderet. Perparcè tùm quidem, atque auarè admodùm tempus ipſis corporis, vitæque neceſſitatibus diſpenſare, vt prolixius ſupereſſet commentationi ſpatium. Et noctesquidem, cùm quæ eſt Chriſti Domini natalibus ſacra, tùm quæ ſextam maioris hæbdomadę feriam excipit, integras tranſigere inſomnes conſueuerat, quiete penitùs ablegata; niſi quòd quieſceret in ſinu tranquilliſſimæ contemplationis. Auocabant enimuerò identidem, ac crebriùs aliquando, quàm vellet, proximorum commoda; ac tùm quidem iret, rediret, ſtaret in eorum domibus, ſemper diuinum aliquid aut muſſare voce, aut tacitus commentari videbatur. Quæ quidem precum admurmuratio vſque adeò illi domi, foriſque aſſidua, vt dixerit interdum aliquis, Frãciſco ab infaticabili recitatione, motuq; oris æneas, aut ferreas eſſe genas, maxillaſque oportere. Sçilicet, hæc illi princeps cura; conſtans, ac perpetuus per cœleſtium rerum meditamẽta cum Deo nexus: ita vt vel cùm ſuis, aut aliorum opportunitatibus impartire ſe ſe, aut tempus videretur, tùm maximè acceſſu mentis, atque impetu contemplationis adhæreret Numini. In ipſa cœnatione viſus perſæpè dum cibum ſumeret, manantibus fletu oculis, ſuſpenſiſque à Diuorum imaginibus, quæ inibi extabant, preces fundere. Ad

Et orationum aſſiduitas.

H eun-

eundem etiam modum quoscumq; corporis actus ac munera confundere, ac miscere precibus solitus erat: vt dici sanè citra dubitationem omnem possit, Franciscum semper orasse. Illud enimuerò præclarum indolis, animæque contemplatricis argumentum. Nam cùm ea Prophetæ verba: Omnis spiritus laudet Dominum: ita explicaret, vt dicere Vates regius voluerit, vel ipsos hominum anhelitus debere esse Dei laudes; contestari sæpissimè voluit, se quidem, ne aliquis à diuinis aliquando laudibus vacaret, deperiretque anhelitus, apud animum suum statuisse, vt quoties spiritum duceret, singulis ijs interspirationibus Dominum dilaudaret. Planè, cum respiratione, atque anhelitu mortalium vita constet, & singuli Olympij anhelitus Dei laudes essent, affirmari iure potest, illum non tàm spiritus reciprocatione, quàm oratione, precibus, ac diuinis laudibus vixisse: ita vt hoc illi fuerit viuere; nempè orare, psallere, meditari. Hinc illam frequenter sententiam vsurpare solitus erat: scilicet, feriari à precibus, esse genus quoddam mortis. Putabat nempè, mori quempiam oportere, cùm orare desineret: vtpote quem destitueret spiritus, ac vitæ anhelitus. Et sanè is fuit communis sanctissimorum hominum sensus: quorum ea fermè verba; oratione ali, vegetari, animari ipsam animam: vt hominem diuina minimè contemplantem cadauer appellauerint, aut hominis vmbram, pictumue simulacrum, non hominem.

Singulis penè momentis.

Porrò qui addictissimus negotioso huic mentis otio erat, dare aliquando operam, vti innuimus, mortalium necessitatibus, interpellarique oportebat: atque adeò decerpi contemplationis tempus;

ac

ac detrimentum aliquod capere ardorem illum spiritus, quem assidua cum Deo consuetudo, atque oratio euentilabat. Eapropter sarcire identidem damnum receptu quodam, ac solitudine, qua nihil eiusmodi dispendiis compensandis opportunius, solitus erat. Id quod eo etiam nomine illi gratissimũ. Nam qui honestari se plurimùm Neapolitanorum studijs, ac celebritate cerneret, humilitatem, cui maximè cauebat, in tuto ponere sibi videbatur. Læditur nempè hominum plausibus modestia: & quamquam externo honorum cultu, ac pompa insignis ea virtus non capitur, vtpote quæ semper in infimis consistat, elata licet gentium sermonibus cœlo tenus: molestiæ nihilominùs non mediocri est viro humili, dilaudari, coli, ac vulgi fama circumferri. Igitur cùm tuendæ, quam tantoperè adamabat, sui deiectioni, tùm maximè vt totum se se contemplationi permitteret; hominum frequentiæ, ac se sibi suffurabatur Olympius. Nunc Surrentum, nunc Æquensem Vicum petere. Vtraque ea Vrbs in Picentinis, nec longiùs Neapoli recedunt, interfuso mari, quem Craterem vocant; aeris amœnitate, soliq; ingenio proximæ, vt situ. Edito vtraque loco, pelagus, ac Neapolitanam Ciuitatem prospectant: qua sanè oculorum illecebra nihil, aut pulchrius, aut iucundius. Extant vtrobique nostratium domicilia, in quibus ita loci salubritate, amœnitateque fruuntur Patres, vt sint etiam incolis, accolisque non minimæ quidem vtilitati, ac fructui. Gratissima alterutra Francisco statio; eò vel maximè, quòd inuiseret etiam vtrobique religio. Et in Æquensi quidem Vico Deipara Virgo, quam à Tauro appellant, à patratis miris percelebris, non

Consueti Olimpio recessus.

Ciuium mòdò pietate, ſed circumiectę etiam regionis concurſu colitur. Surrenti verò ſacrum Diui Antonini Abbatis pignus in æde ſui nominis apud noſtros quieſcit, ob aſſerta quàm ſæpiſſimè ab infernorum dœmonum inſeſſione, ac vi humana corpora cùm Surrentinorum, tùm diſſitarum etiam gentium venerationem, famamque promeritum. Seceſſum, aut hunc, aut illum quoties vir Dei adiret, laxare genio ſuo, ac contemplationi frœnos: non hic extra cellulam nolentem trahi contingebat, non diſtrahi, auocarique mentem: non aures moleſtiſſimis plerumque alloquutionibus dare: non principum virorum limina, aulaſque terere: verùm continuata mentis tranquillitate, hauſtiſque liquidiſſimis cœlo delicijs, Alcedonia agere, ac non niſi cum Deo, ſecumque eſſe.

In Mariana Vici Eccleſia frequenter inimoratur.

Aequenſis Virgo præcipuè illi ad cor. Hæc ita ſublimi, ac conſpicuo in loco accurrentium deuotioni, ac votis proſtat; vt cellulam etiam, ac faciendis ſacris aram infernè habeat, quæ cùm introrsùm acta, à certa luce nonnihil recedat, ipſa ſui vmbra neſcio quid maioris venerationis conciliet. Huc ſe ſe Olympius recipere, velut in ſinum optatiſſimæ quietis: hic ceu ſub auguſtæ Virginis vmbra, quam deſiderauerat, ſedere, latere, ac commentando diutiùs perſtare. Aderat diuinis laudibus aſſiduus: tùm à Choro, qui celſiore inibi loco eſt, ad imum illud conclaue facilis illi deſcenſus. Hoc nempè religioſiſſimo Viro iucundiſſimum, nectere precibus preces, atq; à pſalmodia ad contemplationem gradũ facere in Mariano eo ſpecu, quem ſibi ad ſpiritus delicias, ſecuramq; ſtationem, ac portum delegerat. Illuſtrari porrò mirificè inter pias huius ſacelli tenebras

bras contingebat; adeò vt qui peculiari quodam lumine introſpiciendis pectorum arcanis valeret, vt in loco opportuniùs explicabimus, in Aequenſi hoc ſeceſſu perfundi ſuperna ea luce vberiùs quodammodò videretur. Illud hic notatu dignum, quod cum inſigni mutatione morum accidit. Redibat à Virginea ea cella, offenditque domi inter eundum virum quendam, cui Aloyſio Stafardo nomen; obſcuro is loco, & Franciſco penitùs ignotus. Ergo illum vt vidit, perindè ac ſi iam diù familiariter vſus eo eſſet, admota humeris ad blanditias dextera, ſuo nomine compellauit. Quid rerum, inquit, agis, Aloyſi? Cura animæ rem, & confitere peccata tua. Perculſus ad hæc ille verba, ac ceu telo quodam ictus, humi procumbere: tùm ad Olympij pedes aduolutus, illos, manantibus vbertim lachrymis, exoſculari flagitabat. Vetuit vir modeſtiſſimus: & quòd propè aberat ſuffixi in cruce Redemptoris effigies, eius libare oſculo pedes iuſſit, abijtque. Neque poſt multò aduentantes eò Patres, hærentem inibi, lugentemque Aloyſium comperiunt, quibus ille: cupere ſe, ait, Patrem iterum alloqui, qui mirum in modum cor ſibi intimè tetigerat. Velle nimirùm ad pœnitentiæ fontem animæ ſordes eluere; quando ab inteſtino quodam odio quatuor omninò annos conſcientiam non expiaſſet. Adijt denuò Olympius, atq; illum blandè conſolatus, ad obeundam & quàm citò, & quàm benè ſacramentalem Confeſſionem hortatus eſt: gratulatus magnoperè, redijſſe ad frugem virum, cuius intima, affixamque malo ſuo mentem diuinitùs agnouerat, ac perſanauerat.

Arcanum viri animum cognoſcit.

Iam, æquè illi gratum Surrentinum contubernium.

Surrenti mentis otia.

nium. Extat hic itidem hypogæum, vbi sacrum Diui Antonini monumentum, ac cineres. Remotior ea templi pars, atque adeò ad agendum cum Deo opportunissima: quò se Franciscus recipere solitus erat, ac prolixiùs commentari; sentiebatque propè sacros illos Sanctissimi Abbatis Manes pectus vehementiùs incalescere. Nec vtcumque cœlestia meditando feriari in Surrentino hoc recessu; sed ea interdum animi attentione, æstuque ferebatur, vt excederet omninò sensibus. Accurrebant nostri, vt vim illam Numinis, excessumque mentis in eo cernerent, dum oraret; qui aliò auocatus, præsentes licet non aduertebat. Illud autem aliquando hic accidit, quod immorantem cœlo Olympium probat, nec sanè accidere nisi addictissimo contemplationi viro poterat. Rem ex literis ad Vincentium Gilibertum, Præpositum Generalem Surrenti datis, hausimus; compertumque id etiam est communi nostratium, atque exterorum fama. In superiore eius templi Odèo musicum quoddam organum erat, quod nonnisi perrarò, ac certis per annum ferijs, solennioribus, videlicet, pulsari consueuerat. Auditum hoc aliquando alieno quidem tempore resonare. Accurrunt admirabundi quidam ex nostris, ac maiore quidem admiratione Franciscum vident, qui hausto Numine, atque animo, vti agnoscere de vultu erat, abalienatus, organum pulsabat; idque anxiè quidem: nam qui solus aderat, simul moliri folles, simul decurrere articulis cymbalum, administer ipse, ac psaltes videbatur. Non semel frui hoc spectaculo ijs licuit; ac tandem monendum Præpositum duxere: qui eò dum inuolat, admotum organo, pulsantemq; de more illum

Organũ pulsat.

repe-

reperit. Nihil inconcinna ea viri modulatione iucundius: verùm ad eius modestiæ, humilitatisque exercitium, adducta fronte, monere, increpare: Ecquid intempestiuo eo sonu admirationem omnium concitaret? annon aduerteret, animi leuitati dari præposteram eiusmodi symphoniam? At scire ipsum debuisse, nulli licere, ad numeros domi canere, aut psallere. Hæc ille prouolutus in genua, ingentique suffusus verecundia audiit, ac veniam, veluti quid grauioris piaculi admisisset, demissiùs petiit. At enim qui probè nouerat Præpositus, eum esse Olympium, vt quiduis aliud, quàm nugas, atq; id genus laxamenta adamaret, explorandā rem propiùs duxit. Itaq; illū conuenit, ac remotis arbitris, de eo organi sonitu interrogauit. Qui quidem rem, vt erat, permodestè, atque ingenuè fassus: se quidem, ait, dum semel in superiore Choro suas preces ad Deum funderet, audiuisse illud ipsum organum sua sponte canere quàm suauissimè; certè arcana quadam vi Cœlitum, atque ab eo Spiritu, qui scientiam habet vocis. Licuisse hinc porrò coniectari, id fore Cœlestibus gratum, si & ipse Psalmistæ ritu persolueret Deo laudes in chordis, & organo, & vt Diua olim Cæcilia, quæ cantantibus organis Domino decantabat. Monitum proindè diuinæ voluntatis, ad organi sonum, ac numeros suas modulari preces cœpisse, elatis modò quinquies follibus ad Christi vulnerum numerum; modò ad magnę Matris gaudia exprimenda, septies. Hæc Olympius Præposito, qui in admirabili eo organi concentu, nullo, videlicet, mortalium pulsante, beneuolentiam, ac blandicias Numinis erga illum agnouit: ceu quodam gloriæ libamento dignari illum voluerit: vt

Non sine Cœlitū inuitamēto.

olim

olim Franciscum Assisinatem, personante cœlitùs cythara, supernis delicijs vsque ad animi, amorisq; deliquium perfudit. Et verò id illum cœlestium deliciarum Surrenti aliàs commeruisse, aliorum etiam fide compertum habemus. Narrat siquidem Franciscus Boluitus, qui præclaros eius actus, virtutesque breui commentario excepit, virum quendam nobilem Surrentum Neapoli se transtulisse, vt quædam animi momenta cum Dei Seruo communicaret: qui quidem illum in superiore, quem diximus, Choro alloquutus, instructusque ad spiritus profectum monitis, dum inibi eius iussu orat, musicum illud organum modulatè, ac concinnè admodùm canere ex inopinato audit. Vertitur: & qui pulsaret, vidit neminem; nisi quòd Olympius seriò, atque accuratè folles tractaret. Defixus admiratione vir nobilis, adesse è cœlesti Odèo Angelum quendam, sibi persuasit, qui armonicas eas fistulas temperaret. Absoluta deindè armonia, id etiam is aduertit, quòd hospite, vt aiunt, insalutato, furtim dilapsus, in cellulam se se proripuit Franciscus; veritus fortasse, ne à tantę rei nouitate, atque admirabilitate anquireret ille studiosiùs, atque interrogaret, cogeretque aperire Sacramentum Regis cum fraude modestiæ. Sed de contemplatiua Olympij vita hactenùs. Qua verò mentis attentione oraret, quo corporis habitu, qua internæ lucis affusione, quo fructu mortalium, dicemus in loco, cùm vnà cum reliquis virtutibus orationem etiam explicabimus.

Quod nó semel accidit,

Spiri-

Spiritualе Olympi gaudium, & lachrimæ. Cap. IX.



B hoc assiduæ contemplationis fonte manare liquidissima voluptas videbatur, à qua perfundi, ac vernare Francisci cùm animus; tùm vultus consueuerat: idemq; orationis vsus perpetua quædam scatebra fuit, vnde beata lachrymarum perennitas flueret; quæ diuina ipsa gaudia non modò non interturbabant, verùm puriore quadam vena irrigabant, adaugebantque. Gaudere profectò semper ex Apostoli pręcepto illum oportet, cui à rerum cælestium contemplatione, ac veluti aspectu quodam scena aperitur longè pulcherrima. Nam vt meditatio imitamentum quoddam gloriæ est: quippè idem illa Diuinitatis obiectum, eademque intelligentiæ vi complectitur: ita libamentum aliquod æternæ voluptatis inde existere, necesse est: planè vt idem sit cõmentari diuina, & lætari. Et in Francisco quidem perspectum id liquidò, quem nunquam cælestibus delicijs non inundatum, externa ipsa eius species indicabat. Vultus illi quidem grauis, atque ita continenter serius, vt sint qui testentur, per plures annorum decades nunquam illum à se visum risisse: imitatum profectò Christum Dominum, quem fleuisse quidem aliquando, risisse nunquam, affirmant. Semel homo quidam exterus festiuissimi planè moris, dum nescio quid operis in Sanctorum Apostolorum domo nauat, citra omnem quidem iniuriam, Vultus Olympio grauis.

aut damnum, at ridiculum planè in modum in latus decidit. Effusè ridere, qui præsentes aderant, inter quos & viri grauissimi, quos lepidum caput mirè affecit suo casu: at in Francisco nullus fuit, qui vel minimùm diducta ad risum ora aduerterit: immutato, videlicet, vultu in cõmuni ea hilaritate, ac scena. Nihilo tamen minùs in grauissima ea specie nõ modò nihil adductæ frõtis, ac triste, sed quædã etiã emicare serenitas, ac tranquillitas videbatur, quæ intuentes ipsos exhilararet: planè, vt simul, & venustaret oris grauitatem, sanctitatemque hilaritas, & hilaritatem vicissim consecraret pietas, ac grauitas. In læto autem, hilarique eo vultu, nemo statim non agnoscebat gaudium, quo intimè fruebatur. Index quippe animi facies: & vbi semel diuina quædam lux pectus occupauerit, ceu mundissimo quodam è vitro eluceat è vultu, ac fronte, necesse est. Ipsa in primis cælestis voluptas, quam Deus impluit, latere in fundo cùm nesciat, exprimi, repræsentarique externo aspectu oris postulat: florentque statim vultus, cùm eiusmodi delicijs irrigatur animus. Constans præterea hæc erat in eo hilaritas, ac semper idem oris tenor: vt nunquam non alacrem, lætumque Olympium vidisses, abacta prorsùs ab oculis, à fronte tristitia. Quo sanè indicabat, ab æterno Diuinitatis fonte ea esse gaudia, quæ vultum exhilarabant. Hoc nempè inter cæli, mundique delicias discrimen: hæ torrentis in morem in ipso suo impetu exarescunt: illæ verò perenni vena fluunt, durantque: vt de his quidem meritò *a* Philo pronunciauerit: Prophana gaudia somnijs sunt similia: veniunt, abeunt: occurrunt, refugiunt; priusquam compræhendantur, auolant.

Grauitati mixta hilaritas.

a Lib. de Ioseph

De

De ijs [a] Bernardus: Illud verum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, & quod cùm possederis, nemo tollet à te. Semel visa insolita quædam tristitia Franciscum occupasse: adijtq; consternatus, nec sine fletu Confessarium: ac dolere se, inquit, desidiam, atque inertiam suam. Quam in alijs cerneret charitatis alacritatem, ac flãmam, sibi non tàm incitamento, quàm pudori, mœrorique esse. Nam cur in tanta aliorum annona, sui ipse spiritus inopiam non defleret? At enim breui abstersus mœror, ac dispulsa ea mentis caligo est. Siquidem consolatus illum blandè Cõfessarius, vt abiret, peteretque à Dei Matre cordis lætitiam, iussit. Paruit, atque humi stratus, vbi tantisper orauit, visus mox serena fronte alius: gaudere, exultare, hortari ad lætitiam obuios; planè vt ea die nihil fuerit Olympio festiuius.

[a] Epist. 115

Hæc porrò gaudia ea aliquando in illum affundi copia videbantur; eaque vi, impulsuque afficiebant, vt imperare sibi minimè posset, quominùs exiliret, suamque lætitiam celebraret choræis. Accidit hoc semel die Pentecostes: quo die, vt olim Apostoli adeò diuini Spiritus musto immaduere, vt ab insolita quadam facundia, ardentiq; amoris impetu ebrios putauerint: ita Olympium in tanto cælestium flãmarum imbre is ardor occupauit, eoque accendi gaudio visus est, vt mirè efferri, ac saltare ad numerũ cœperit. Nempè, quando facto repentè de Cœlo sonitu, concentum longè suauissimum ederet diuinus Spiritus; suarum ille partium duxit, eiusmodi parere sono, interiorique lætitiæ, quæ simul animum, simul corpus agitabat, librabatque ad saltus. Et verò dici & ipse tunc potuit à nimio

A lætitia exilit.

Semel.

 quo-

quodam nectare ebrius. Nam, vt Romanus Orator: Nemo saltat sobrius. Iterum die Dominicæ Circumcisionis sacra, choræas itidem ad ingentis lætitiæ specimen duxit. Enimuerò facturus mox ad aram, ac sacris iam vestibus indutus; dum cogitat, purpurascere infantem Deum, eumque primum sanguinem esse, quem ille ad publicæ salutis pretium funderet; lætari supra modum: eòque tandem efferbuit gaudium, vt non Sacrarij locus, non sacerdotalia ipsa insignia temperare nimium impetum, ac publicam, velut in theatro, saltationem potuerint. Planè cùm hinc illum dolere Infantis vulnus cogeret: hinc verò lætaretur, quòd primitiæ illæ sanguinis spes mortalium irrorarent; vicit lætitia, sorbuitque adeò mœrorem omnem, vt etiam præ gaudio exiliret. Tertiò sub ipsum Virginis puerperium, ac Dei Natalem dum ad Sacrarium pergeret, vt missæ sacrum celebraret; ecce tibi è communi via rusticus auenarum sonus ad Olympij aures accidere. Qui per eos dies in cœlestium Natalitiorum contemplatione totus erat, Pastorum ad Dei cunabula fistulas audire sibi visus est: concitari proindè intimo quodam gaudio, sensuque incredibili efferri: ac tandem, quòd eiusmodi motus nullus rexerit, saltare nascentis Dei laudes coactus est; ceu Pastorum choro immixtus, ad easdem ipse cunas properaret, celebraretque cum ipsis Genethliaca Numinis: cuius quidem infantiæ festiui choræarum plausus magis congruere, quàm grauior quædam religio, illi videbatur. Ad hæc, in cuiusdam decumbentis cella semel morabatur: & cuius nunquam sine pietate, ac fructu præsentia; hymnum, cui initium. O Gloriosa Domina:

Et iterù, *Et tertiò* *Et sæpiùs* [marginal notes]

mina: recitare instituit: atque ad ea verba: Vitam datam per Virginem gentes redemptæ plaudite: à subito lætitię æstu, nec sine mentis abalienatione plaudere & ipse cœpit: tùm, veluti ad numerũ, choræas ducere, ac subsilire. Postremò illud non omittendum. Solemnis quædam lux erat, conceptaque Franciscus ab eius diei mysterijs, eorumque contemplatione lætitia, gestire, atque exilire festiuissimè non sine quodam excessu mentis cœpit. Dum saltat, Frater Laicus ex nostris adfuit, qui ratus, quod erat; correptum nempè Numine Olympium, ab interiore quodam gaudio subsilire: ne id choræarum, ardorisque abrumperet, instituit & ipse vnà simul saltare: quo ille comite, visus vigorosiore quodam spiritu parère lætitiæ, quæ animum mirè occupauerat; adduxitque mox habenas, vbi deuotionis ille ardor remisit. E cœlo hi quidem impetus: à quibus vbi semel pectus incaluerit, nemo est adeò sui potens, vt ijs imperauerit: atque adeò nemo profectò illos carpserit, nisi qui celeres, igneosque cœlestium deliciarum motus ignoret. Nihil frequentius, quàm, concepto in telluris sinu igne, subsilire tecta, ingentesque ipsas moles à fundo dissultare, ac quati. Longè impetuosior diuinus ignis, atque ab eo gaudia, quæ mortalium sinu excepta, vt animos, ita & interdum corpora huc illuc arcana, ac subita quadam vi agunt. Neque enim potare de torrente diuinæ voluptatis vllus vnquam poterit, quin torrentis etiam in morem impetu quodam feratur. Visus aliquando Vates regius coram Dei Arca choræas ducere, nec erubuit: quando eò traheret, cogeretque affusa diuinitùs voluptas.

Iam

Olympio à cótemplatione lachrymæ.

Iam verò, diuinarum rerum contemplatio, quam diximus eiusmodi lætitiarum fontem, eadem & fons eſt lachrymarum: planè vt ab ea vna, eademque exiſtant vena deliciæ, & lachrymæ, veluti ab eodem ſinu gemellæ. Et in Olympio quidem, vt animo gaudia, quod modò ſignificauimus: ita exundabat oculis fletus. Nihil profectò facilius, quàm abire illum in lachrymas: ac veluti cereum eſſet illi cor; vbi in meditatione incaleſceret, ſtatim liqueſcere, ac fluere per oculos videbatur. Cella, Chorus, Templum madere ſæpiùs ab eo fletu. Viſus aliquando in communi ipſa cœnatione, alieno profectò tempore, ac loco, collachrymari. Nam ſiue quæ habebatur ſuper menſam de more lectio, ſiue pia quædam cogitatio à cibo auocaret, ſubſiſtere interdum videbatur: tùm oculos Diuorum imaginibus, quæ inibi erant, defigere, atque vbertim flere: planè vt nihil eùm pretioſius, ac dulcius ijs epulis eſſet, quas ille oculorum liquor, ſiue nectar reſpergeret: ac dicere regio cum Pſalte poterat: Potum meum cum fletu miſcebam.

Præcipuè inter rē diuinam.

Hic autem lachrymarum fluxus nunquam copioſior, ac perennior, quàm cùm Miſſæ ſacrum faceret. Perfundi veſtes ipſæ Sacerdotales, atque Altaris lintea videbantur. Quippè, ſicuti quæ extillantur è floribus aquæ, eò fluunt vberiùs, quò ſubditus ignis viuacior: ita haud profectò mirum, quòd inter rem diuinam largior è Franciſci oculis manaret lachryma; quando á càrbone illo ignito, qui in Altari accenditur, & conſecratur, vehementiùs incaleſceret. Surrenti illud ſanè ingenti admirationi fuit. Sacris operabatur in Monialium Aſceterio, cui à Diuo Paulo nomen; cùm arde-

ardere insolito igne charitatis cœpit; vt vultu etiam ea flamma emicaret. Sacrum deindè Christi Domini Corpus dum manu tenet; visæ erumpere vberrimæ lachrymæ, eo nimirum impetu, ac copia, ceu rupto obiice, fluuius aliquis exundaret. Admotum frequenter sudarium vsque adeò immaduit, veluti mersum in fontem aliquem fuisset. Mirari tantam vim lachrymarum, qui aderant; ac suas in alieno fletu continere minimè potuere. Moniales nihil impensiùs efflagitare, quàm perfusum, imbutumque eo fletu linteolum: quo potita Antistita; in partes illicò diuisit, ac deuotionis ergo singulas singulis dedit: habueruntque in pretio suam quæque particulam, Olympij lachrymis, veluti gemmis, aut vnionibus insignitam. At de mirabili gaudiorum, ac lachrymarum nexu satis.



Quæ-

Quædam Olympij itinera. Cap. X.



ÆSIT plerumque Neapoli Franciscus; tùm quòd rarò commutandam sedem iusserint Maiorum nutus: tùm verò quòd non ex ijs erat, quem videndi mores multorum, & vrbes desideriũ vellicauerit. Egressus nihilominùs Neapoli, egregijs etiam virtutum exemplis eiusmodi profectiones, atque itinera nobilitauit. Quo tempore Bitunti, quæ Ciuitas est in Apulia, quam Iapygiam appellant, non ignobilis, fundari nostratium Coloniam contigit; quòd plurimum interest, rerum rudimenta faustè poni, ac cœnobiorum potissimùm initia eximia incolarum virtute commendari; destinatus eò est Dei Seruus, futurus nempè amplificandæ inibi rei Theatinæ à morum laude, ac sanctimoniæ fama opportunissimus. Innuisse Præpositum, sat fuit. Nam qui consanguineorum, patriæque studium, atque affectum prorsùs omnem procul haberet; vbique sibi videbatur æquè peregrinus, ac ciuis. Atque admirationi sanè non mediocri fuit, ita non anxiè discessioni se comparare, veluti standum illi esset, aut propior quædam petenda ad animi laxamentum villa. Non penula, non cœtera conficiendo itineri suppellex illi curæ. Discessurus verò, vbi ad aram litasset, adesse etiam Choro, horasque Canonicas persoluere de more cum alijs voluit. A Choro mutato vix pileo, atque elata tantisper ad expeditum

Bituntũ proficiscitur.

iter lacerna, in equo fuit. In itinere nunquam deindè visus à precibus feriari. Nihil ab eius ore, aut testiui sermonis, aut nugarum excidit: idquod nec grauissimis ipsis viris verti vitio solet, fallendo itineri. Incommoda, ac viæ tædia abundè minui precum studio putabat. Hinc sertum Rosarium assidua manu terere; Hymnos, ac Psalmos mussare: meditari interdum tacitus diuina, ac coelo peregrinari mente. Principiò quidem, si quam inter eundum sacrã ædiculam, aut effigiem offendisset, desilire equo solitus erat, vt de genu Diuorum imagines veneraretur: sed cùm nonnihil molestię crearet socijs frequens ille exscensus, ac mora; monitus, abstinuit. Viri deindè aduentus non diù in ea Vrbe latuit. Eximia oris modestia, orationis assiduitas; perparcus, ac frugiferus sermo, humilitas, pietas gentis famam, ac beneuolentiam statim Olympio conciliarunt: hæsitque vsque adeò populorum animis ea morum sanctitas, vt vigeat etiamnùm inibi venerabilis Viri memoria.

In eo itinere pietas.

Is verò in eo cœnobio eo fui, mundique despectu agere, vt esse supra quicquid est rerum humanarum videri posset. Si qui fortè è Neapolitanis Patribus eò aduenisset; data vix, acceptaque salute, ne deesse charitatis officijs videretur, abibat: nihil præterea de statu rerum Neapoli cognoscere, aut interrogare: de nostratibus, de exteris, de consanguineis, perindè quasi defunctus ijs esset, aut illi sibi; sermo omninò nullus. Materiam porrò in ea domo exercendæ pietatis nactus, visus planè insigni quodam studio complecti. Nosocomium ægrotis cùm popularibus, tùm exteris excipiendis attiguum cœnobio erat, facili quidem aditu, vt po-

Quæ illi in ea domo vitæ ratio.

Aegrotis operam nauat.

te quibus commune atrium. Dei munus putauit, tàm propè esse charitatis segetem, quam demeteret. Adire statis diei horis, ac procurare omni officiorum genere affecta corpora, quorum cladem, atque infortunia vt mulceret pro modo patientia, verbis spiritu, ardoreque plenis ad illam, ac cœteram pietatem decumbentes hortabatur. Domi verò si quid esset edulij, aut aliquid fortè bellariorum exteri donassent, quod opportunum fouendæ paupertati, atq; ægritudini foret, iis seponebat: tùm expectatis tenebris, ne opus proderet dies, ac lux, inter primas faces Xenodochio tacitus afferebat, dispertiebatque: planè vt quoties appareret loco Franciscus, Angelum sibi videre videbantur infirmi, qui aut à manu, aut à lingua, opportunissimè quidem semper dona diuideret. Hic etiam admotus temperando tyrocinio fuit: & quòd propior illi ea iuuentus, eiusque inspicere accuratè actus poterant, mira postea de eius vitæ rationibus, de animi deiectione, de afflictatione, contemptuq; corporis, de abstinētia, de orationis, studio, de cultu religionis deprædicabant: quę cùm ad virtutes, quas alibi commemorabimus, pertineant; non est, cur hic stylum morentur.

Neapolim reuertitur. Iam si reuertentem inde Neapolim Franciscum prosequi velimus, erit profectò, quod breuiter narrasse, pretium fuerit. Sub ipsum Iunii mensis exitum iter contigit: quo tempore cùm nullibi non æstuet cœlum, tùm in patentibus Apuliæ campis ardet, vritq; acriùs Sol: atque adeò viatoribus id primum, vt molestissimum ab nimio æstu iter noctu conficiant: mutantque opportunè vices, vt noctu quidem eant, stent ad quietem die. Ergo in ipso

Apo-

Apostolorum Principum peruigilio Asculum (Ciuitas ea est ad militarem viam) Franciscus vnà cum socio ex nostris, & reliquus comitatus perueniunt, qui continuandum nocturnum de more iter statuunt, quamquam festa subindè lux, Petro, & Paulo sacra insequebatur, vrgebatque audiendi sacri præceptum. Id quod haud quidem gratum accidere Olympii auribus poterat, cui nihil antiquius; quàm qua deceret religione, cultuque animi tantorum Principum solemnia excipere: putabatque, non eum esse Appulum Solem, qui pietatem læderet, ac decoloraret. Luctandum igitur cum mulione diù fuit, qui tandem Viri mansuetudini, ac modestiæ dedit manus, tribuitque insuper viæ ducem, qui illum, ac socium, peractis sacris, ne aberrarent, duceret. Mirum sanè dictu: celebrata per otium mysteria: tàm repetito cursu, socios, qui iter longè antea capessiuerant, non modò assequutus is est, verùm etiam veluti non pedibus, sed volatu quodam emensus viam esset, illos, dilapso licet, aut amisso ductore illo itineris, duas omninò horas anteuertit. Monstri profectò simile iis fuit, occupasse diuersorium Olympium; ac se quidem, qui æstus nocte, ac vmbra fallere curauerant, prolixiore perustos Sole: agnoueruntque, verissimum illud, viatoribus nihil omninò decerpi temporis à Missæ sacro. Nulli porrò expeditum adeò iter maiori admirationi fuit, quàm mulioni, qui dum putat à stimulis acrioribus equos festinasse; atque adeò fœdè cruentatos, ac lassitudine penè enectos eos esse; aduertit alacres adhuc illos, neque minimùm libata à calcaribus latera. Sic nempè concitatis mirè equis, monuit Franciscus Christiani officii comites, Mirum quid itinere.

ac mirabili documento commonstrauit, Numinis cultum, Diuorumque religionem nunquam non humanos actus iuuisse.

Romam ad Comitia allegatur.

Romana modò itinera; nam semel, ac iterum Romam petiit, prosequimur. Et primò quidem cùm habenda generalia de more Comitia, atque allegandi è singulis domibus essent, qui Conuentus celebrarent; lectus ipse inter alios: cuiusmodi Patrum iudicio adduci nunquam potuisset, vt annueret, nisi præclara illexissent Christianæ religionis monumenta, quæ Romæ coleret. Et verò, quamuis in publicis iis consultationibus eximiæ prudentiæ, intentæq; in commune cōmodum mentis specimen dederit, ac responderit adamussim muneri: visa nihilominùs princeps eius cura pietati operari, ac sacræ Vrbis templa, plena venerationis loca, trophæa martyrū, ac tot pignora sanctitatis adorare: quod ita præstitit, vt admirationi fuerit pietas, studium, cultusque animi, ac vis lachrymarum, qua Romana eà Sacraria inuiseret. Alterum Romam iter non mediocri quidem tristitia suscepit; quòd nescio quid sibi existimationis, ac famæ existere inde videbatur. Contigit hoc Christi anno vertentis seculi altero, & vigesimo, cùm Nicolao Ludouisio, Gregorij Quintidecimi Maximi Pontificis ex fratre Nepoti Isabella Gesualda, Venusiæ Princeps, importato in Pontificiam eam domum amplissimo Dominatu, nupsit. Neapoli lectissima Virgo morabatur: cumque immigrandum Romā esset, id maiorem in modum à nostris petijt Polyxena Furstembergia, Casertæ Princeps, ac Sponsæ mater, vt Franciscus Olympius vnà secum pergeret. Id nempè sibi, ac filiæ ingenti solatio fore, ac satis

Iterum Romam cum Venusina Principe.

leua-

leuamenti iter habiturum à Viri præsentia, sermonibus, precibus: denique putare se, haud auspicatiùs celebrari filiæ nuptias posse, quàm si propiùs adesset, ac thalamo benè precaretur Dei Seruus. An molestissimum id illi acciderit, facilè is coniectauerit, qui tacitam eius consuetudinem, humilitatemque expenderit. E cellula, ac vmbra veluti in lucem trahi: Romam Pontificis neptem deducere: ea in aula nosci: publicis ijs gratulationibus, ac nuptiarum solemnijs misceri, secum ipse reputans Olympius, nimium, quantùm abhorrere ab ijs videretur. Excusare proindè valetudinem, ac senium: rogare etiam, atque etiam ornatissimas Principes, vt sententiam mutarent: Se quidem spiritu, ac precationibus in comitatu fore: Roma verò quòd abesset, nihil impedire, quo minùs fortunari splendidissimũ connubium votis suis à Deo impetraret. Sed hæc frustra. Nam quæ Principem filiam vnicè adamabat Furstembergia, id impensiùs optabat, vt nuptias Serui Dei auspicijs celebraret; veluti fausta omnia adpromitteret Viri præsentia. Igitur parere nobilissimæ Matronæ precibus, ac maiorum imperio Franciscum oportuit. Iter perinde, ac si religionis ergo peregrinationem suscepisset,, insigni quadam pietate instituit. Orare semper quà voce, quà mente. Famulitium eius nominis, ac dignitatis fœminis splendidissimum planè erat. Omnium autem ora, atque oculi in Olympium conuersi: mirari modestiàm, vrbanitatem, mores, ipsosq; eius vultus ad omnem sanctimoniam compositos. Principes verò fœminæ alloqui interdum illum, aut cernere, in delicijs habebant; idque ijs erat, emollire iter, eiusque incommoda. Romæ non obscurum

Ipso quidem reluctante.

Olym-

Olympij nomen, ac sanctitatis fama: eòque de facie illum agnoscere, gratissimum plerisque fuit. Ab ipsis in primis Ludouisijs nimium est, quantùm promeruerit honoris, ac studii. Illum Gregorius Pontifex adire ad se iussit, atque alloqui familiariùs voluit; agnouitq; ab aspectu ipso, quæ lateret intus virtutum suppellex. Is autem cum nunquam non insigniter humilis, coram summo ipso sacrorum Principe visus profectò à maiestate penè opprimi. Pauca, eaque de diuinis rebus loquutus; in eo facundior videri voluit, nempè in solemnium votorum repetitione, quod alibi innuimus. Attulit præterea vim piacularium globulorum, ac numismatum non mediocrem; id etiam, atque etiam, ac per quàm demissè à Summo Patre petens, vt dignaretur ea sibi consecrare, quę postea Neapoli excitandæ pietati de more elargiretur: quod proniore quadam voluntate, ac manu concessum, gratulante sibi magnoperè Pontificis munificentiam Francisco.

Roma Neapolim reuersus, non ita post multò iter aliud instituit, brevius illud quídem; sed à quadam gentium celebritate, studioque aduersùs Dei Seruum non sanè dissimulandum. Tenebatur peracri quidem desiderio Olympius sacrū Diui Matthæi Apostoli pignus inuisendi, quod Salerni in primario eius Vrbis templo eximia populorum veneratione, concursuque colitur. Vtque id religionis obiret, facilè à maioribus impetrauit. Igitur cum Andrea Piscara Castaldo, laudatissimo ex nostris viro, & Ioanne Francisco Nisio, Sacerdote item ex nostris marinum iter Lembo iniit. Salernitano in sinu luctari furenti cum pelago oportuit; ac gliscente maris æstu, vsque adeò procella efferbuit, vt occupan.

cupandum maturè littus, nautæ duxerint. Terra verò partim pedibus eundum fuit, partim in equo, nec sine præsenti incommodo. Siquidem quo vehebatur equo Olympius, qui mansuetissimus, vti affirmabant, vsque dum fuerat; ecce tibi ex inopinato œstro quodam actus, insanire, furere; vt non sine frontis vulnere, ac dehonestamento bonum Senem dorso excusserit. Planè ab inferno, communique hoste conflata isthæc terra, marique pericula, nemo non dubitauit. Enimuerò cùm ad Dei Seruum certatim mortales accurrerent, & is nullã rei bene gerendæ occasionem prętermittens, ad pietatem, Deique amorem passim omnes institueret; prædamque non sanè paucam ab ipsis inferorum faucibus extraheret; interturbare malus dæmon, atque omninò abrumpere iter summa ope conabatur. Quod ille consilium, ac malas artes cùm probè intelligeret, eò vehementiùs inardescere videbatur, ac pergere. Quibusdam in Oppidis, qua transeundum iis fuit, præeunte Viri fama, temperare sibi popularium ardor minimè potuit, quominùs æs campanum gratulabundi, ac solemni ritu pulsarent. Salerni verò, vbi aduenisse Franciscum, manauit rumor; visa suis penè conuulsa sedibus Ciuitas; accurrere omnium ordinum Ciues; eaque statim populorum frequentia templum exundauit, vt facere tùm quidem ad aram nequiuerit. Redire postera luce, idque clam, atque alieno tempore oportuit; ne religionem, ac sacrum denuò impediret celebritas. Aedes, in quibus interea temporis agebat, communiri milite opus fuit, ne confidentiùs irrumperet, atque in vestes etiam inuolaret ardens nimiùm religio. Abeuntem verò incredibile dictu est,

Obluctāte malo dęmone.

Ad ipsū cōcursus.

est, quæ vis mortalium prosequuta fuerit. Adhibendus item miles fuit, qui confertissimam multitudinem dimoueret, ac sisteret: quę tamen ad multam viam progressa: neque à vestium lacinijs quà ferro, quà manu præcidendis, discerpendisque abstinuit. Retulere hæc Castaldus, ac Nisius, quibus non exiguus sanè labor, Virum ab iis existimationis, honorisque argumentis, atque ab humilitatis sensu penè consternatum, erigere. Putauerim equidem, nunquam adductum iri Franciscum, vt id itineris, ac religionis susciperet, si ardorem hunc, honoremque flagrantissimæ Ciuitatis, ac tantum modestiæ vulnus animo prædiuinasset.

Porrò, quod diximus supra, solitum Olympium Aequensem Vicum identidem secedere, vt per ea tacitę, remotæque domus silentia contemplaretur, audiretque attentiùs cœlestia; non hic emensam frequentiùs vltrò, citròque viam exponam: sed redeuntem semel, ac iterum, quod non sine quadam admirabilitate contigit, stylo deducam. Igitur cùm in Aequensi eo contubernio moraretur; ægrotare periculosè Valcarcerem regijs Neapoli à Consiliis, contigit. Ferebatur is præcipuo quodam in Dei Seruum studio: & amabat ille vicissim à morum integritate, pietateque Valcarcerem: qui perindè quasi ab eius præsentia suæ vitæ salus penderet, id prolixiùs cupere, vt adesset: factaque à Maioribus facultate, eò expedita cum cymba Vincentium Valcarcerem filium misit, vt deduceret. Neque mora: Exceptus lembo Olympius: ac dum nauigant, in ipso Neapolitani crateris medio visa repentè eripere cœli faciem, ac diem nubes, procellamque interminari. Nec post multò, rupto

velut

velut obijce, ruere imbribus Cœlum. Orare interim Franciscus, visusque arcere mirè pluuiam. Siquidem dum extra, circàque lintrem effusè plueret, nihil ingredi ruentis procellæ, ac perfundere vectores, ac nautas visum. Mirari omnes à quadam veluti reuerentia distineri pluuiam, ne propiùs accederet, auderetque in eos, quos tutaretur Olympius. Valcarcer in primis stupore percullus, vim precum, Virique sanctimoniam deprædicare: qui posteà, cùm rem Neapoli passim denarrasset, Hieronymo etiam Pignatello, viro ex nostris integerrimo retulit, qui scripto summa fide excepit.

Ruente imbre, siccus Olympius.

Alterum narramus ab Æquensi domo Neapolim iter, quà terra, quà mari perindè admirandum. A febri decumbebat Pumiliani Dominus è gente Ambrosina, Francisco addictissimus: ac morbo ingrauescente, quòd probè sciret, superiorem quandam vim medicam inesse Dei Viro, petijt etiam, atque etiam, vt adiret. Hyemabat vel cùm maximè tempus, ac cymba transmitti eius pelagi sinum posse, desperabant; idque reliquum esse, etsi factu difficillimum, vt mari ad Stabias, quæ in maritima ea ora Vrbs est, veheretur: exciperet deindè currus, reliquo itineri conficiendo. Igitur, eò mittitur currus, quem, corrupto ab assiduis imbribus itinere, inuerti non semel contigit: atq; ita aliquando hęsit, vt eluctari teterrimam viam vix potuerit. Stabias longè anteà quàm eò appelleret Olympius, peruenit: & quòd agitatum ventorum vi pelagus, altè intumesceret; quiduis aliud putare auriga, quàm incommoda adeò tempestate adnauigare cymbam posse. Attamen præstolari ad maris oram aliquantisper statuit; cùm eminùs lembum videt, planè

Et furente pelago, serena vtitur tempestate,

non sine ingenti quadam admiratione. Enimuerò turbulentissimum licet pelagus vbique fureret; ibat nihilominùs tranquillissimè cymbula: adeò vt quà illa transiret, deferuescerent statim fluctus, actis veluti in planitiem vndarum montibus. Id quod non auriga modò, verùm etiam popularium plerique suismet oculis comprobarunt. Accurrerant quippè admirabundi, vt in ipso æstu sterni mirè pelagus, atque enauigare per eos turbines auspicatissimè lembum cernerent; creuitque mox à propiore aspectu omnium admiratio. Etenim cùm ad littus ita se se frangerent, sorberentque inuicem reciprocantes maris vndæ, vt eò appelli, atque exscensionem fieri posse, omninò negarent; dum propiùs accederet cymba, inspiciebant, æstu penitùs deferuescente, positoque impetu, componi fluctus: ac penè fidem oculis abrogarunt, cùm silente prorsùs, pacatoque littore, exscendit Olympius. Tributum id Viri sanctitati, putaruntque, facilè iniecisse mari frænum, cui nulla menti ab animi motibus tempestas, ac turbo.

Porrò quæ diximus, testatus auriga ipse est, vir probus, cui Francisco Caputo nomen, qui & illud addidit æquè profectò mirum. Nam vbi Stabias peruenit Olympius, arripere euestigiò Neapolitanum iter constituit. Vrgebat quippè parendi studium. Verùm quòd vergeret iam in vesperam dies, ac noctè peragenda magna viæ pars esset; negare auriga, in tanta rerum difficultate iniri tutò iter posse. Se quidem, aiebat, impedimenta, ac moras expertum in aduentu planè ineluctabiles: vacuum licet currum inuersum semel, ac iterum: vsque adeò deindè ineptissimis persæpè locis inhæsisse,

fisse, vt vltrò, citròque agi nequiuerit: idque luce: quid nocte, cùm coecum omninò iter, ac consilium, artemque omnem eripiunt tenebræ? Infortunia, proindè, ac casus pertimescere: ac sibi etiam vehementer metuere: neque enim impunè se laturum, si quid improsperi accidisset. Ergo id loci insisterent, ac differrent in posteram lucem iter. Hęc magnoperè inculcare auriga. Sed dum actum agit, ad illum Olympij socius: Certum, inquit, nobis, nulla mora Neapolim petere. Tu æquo sis animo, ac scito, amicissimum Deo caput vehere. Sat fuerit, habenas vtcunque, non tàm regere, quàm manu tenere: coeterùm, Deo aurigante, feliciter ibimus. Dictis hisce adamussìm paruit currus rector. Nox erat vt cum maximè illunis: corrupta vbique itinera, ac foeda imbribus: non habenas ille, non equos temperare; erectusque grandi quadam fiducia, sui, ac currus regimen Viri Dei precibus permittere. Ergo inoffenso, vt aiunt, pede ventum Neapolim intempesta iam nocte. Nullum per densissimas eas tenebras, vti die acciderat, infortunium: visi vorare viam equi: non labi fallente vestigio: non sistere defatigati: planè vt vehiculum agitasse coelestis quidam quadrigarius videri potuerit. Atq; hic itinerum meta, ac finis,

Et felix in difficili via iter



Marianæ Conceptionis Sacellum Olympij opera celebratur. Cap. XI.



ON diù extra Neapolim, quas diximus, excursiones Franciscum detinuere, cui diuturna, atque ad extremam vsque vitæ lineam statio Sanctorum Apostolorum cœnobiũ fuit; in quo illud potissimùm religionis addidit; nempè celebriorem Marianæ Conceptionis cultum. Extat in ea Basilica ad læuam eius partem Sacellum, magnæ Matri, sine originis labe conceptæ sacrum. Hoc Dei Seruus, cui princeps in Diuam Virginem religio, vti in loco exponemus, frequentare interdiù, noctùq; cœpit: hic terrarum, cœlique Reginam colere: hic suas preces, ac lachrymas fundere: si quid sibi, si quid proximis vellet, hic petere. Et verò propensam sibi ea in Imagine Dei Matrem cùm agnosceret; & petebat magna, & magna item impetrabat. Id quod vbi in vulgus manauit, nimiùm, quantùm in eandem Conceptæ Virginis effigiem excreuerit Neapolitana religio. Celebrare certatim illam Viri, fœminę: accurrere voti causa. An verò pronam inibi Deiparę clementiam vsu discerent, testantur pro parietibus gratiarum indices tabulæ, ac votiua donaria: tùm varia ornandę aræ suppellex, sacrumque instrumentum. Quo loco non id prætermittendum. Tributum à nobili quodam, pioque viro aurum fuit, vt nescio quid argentei operis ad Altaris vsum curarent.

In Sácto-rum Apo-stolorum Ecclesia Marianæ Concep-tionis cella.

rent. Dum operi insistitur, monitus ab artifice Franciscus, pecuniam minimè sufficere. Ille, argentum, inquit, & aurum non est mihi: sed tu persuasum habeas, id curæ Dei Matri fore: neque post multo vir alius è patricio ordine, rei inscius, sed necessitati peropportunus, ad eiusdem sacelli cultum tantundem pecuniarum misit, quantùm absoluendo operi deerat. Sic visa suam effigiem honestare præsenti quadam prouidentia Virgo ipsa: aderatq; ibi auscultādis mortalium votis peculiari quadam benignitate, ac pronis auribus.

Porrò cùm cernerent Sanctorum Apostolorum Patres adauctam mirificè aduesus eam aram venerationem; vt id religionis & ipsi iuuarent, accenderentque magis, ac magis ea Ciuitatis studia, id communi suffragatione anno voluentis seculi sexto, & vigesimo decreuere, vt illibatæ Virginis Conceptum anniuersario, solemnique ritu celebrarent: & vt, qui communis eius pietatis auctor videri poterat Olympius, is ipse ijs solemnijs initium, atque omen faceret. Quocirca primæ illi partes demandatæ; ac tùm in peruigilio vespertinas laudes, tùm die ipso solemne sacrum ritè obiuit. Incredibile dictu est, quantum eò affluxerit populorum, qui procerum, ac matronarum concursus facti, quo æstu, plausuque efferbuit Templum, ac ipsum in primis Marianum Sacellum, quod ab Olympio etiam appellabant. Sed neque sine animorum, ac pietatis prouentu deuotio. Visi nanq; expiare sacra confessione noxas suas penè innumeri; quorum plerisque omnibus id in primis propositum, vt Eucharisticum epulum Serui Dei manu sumerent. Et quidem is fuit adeuntium ad Diuini Corporis mensam nu-

Instituitur ad eā aram solemnis.

Quo populorum concursu

numerus, vt admirationi fuerit, tantùm fuiſſe illi virium, quæ confertiſſimæ multitudini ſufficerent. Quòd autem incitata vehementer ſtudia minimè expleri feſta duntaxat luce viſa ſunt, continuata per octo conſequentes dies celebritas; quam & exhilarabant quæſitiſſimæ canentium voces, & quotidiana à noſtris facundia inflammabat.

Atque inter has quidem octauas ferias, & ſua nobilitare ſolemnia, & Franciſcum ipſum honeſtare Diua Virgo voluit; euentu quidem eò illuſtriore, quòd ad omnes pertinuit commodum, depulitque, quod eſt populis moleſtiſſimum, nempè annonæ caritatem. Referam id, quod in noſtris etiam Annalibus ex fide retuliſſe me, memini. Tenuerat diutiùs, pergebatque quędam aeris intemperies, ex qua aſſiduis procellis, ac ventorum vi agitari pelagus cùm contingeret, exiſtere hinc non leuem quidem ærumnam Neapolitanæ Ciuitati oportebat. Enimuerò quod Stabijs, ac Pompeiis molitur in communem vſum frumentum, ac onerarijs deindè nauigijs Neapolim vehitur; importari ab incommoda ea cœli tempeſtate minimè poterat: cumque neque terreſtri itinere tranſmitti tantum annonæ poſſet, quæ populoſæ adeò Vrbi ſufficeret; reliquũ erat, vt, cœpta iam cibaria eiuſmodi difficultate, arctam deindè expectarent famem. Neapolitanis Magiſtratibus nihil hac calamitate grauius. Nouerant quippè plebis ingenium, quam ſi irritauerit ſemel fames, non fas, non ius illi curæ: miſcetque facilè omnia ieiunus populorum furor. Et Neapoli quidem, vt promptum vbique obſequium, ſi annonæ conſulat Rectorum prouidentia; ita ſi negligat, acriores, quàm vſquam gentium turbæ. Con-

Imminet Neapoli annonæ caritas.


ſul.

sultum ea super re sæpiùs: at frustra. Agendum nanque cum cœlo, & pelago erat, quæ nullus mortalium suo vnquam nutu temperauerit. Id vnum tandem sedit, vt quando humanis consilijs desperauerant, diuina capesserent. Tempestates, ac maria diuinum illum Neptunum concitare; eiusdem supercilio componi, ac serenari, Celebrari per eos dies in Sanctorum Apostolorum Templo Diuæ Virginis Conceptum. Quid hac tutela, ac ope opportunius, præsertim si Franciscus Olympius pro ipsis staret, interpellaretque Dei Matrem, ad cuius ille imaginem, vti communi fama ferebatur, impetrare magna solitus erat? Itaque in eam Vrbis Septem-Viri discessere sententiam, vt Franciscum vnà conuenirent. Quid à cœli iniuria immineret, quid à Ciuium fame metuerent, aperirent: precarentur deindè, vt causæ patrocinaretur, fusis pro maris tranquillitate precibus, ad illam nempè Dei Parentis effigiem, quam scirent ipsi propitiam. Visus ea procerum, ac Vrbis vota complecti singulari quodam studio Vir flagrantissimus: statimque illa ad cœlestem Reginam detulit; ac stratus humi, quà voce, quà lachrymis perindè orauit, vt mox exorauerit. Sequenti siquidem die, mutata, quæ lugubris diù fuerat, aeris scena; vultum induit cœlum omninò alium; redijtque mari tranquillitas, quæ annonam simul, & securitatem attulit ciuibus, cō meantibus vltrò, citròque nauigijs, Plaudere, & suo decreto, & Olympij precibus Magistratus: neque enim, & illo apud Virginem, & Virgine apud Deum interprete, factum id dubitarunt. Luculentum proindè beneficium vt aliquo grati animi documento testarentur, collatis vnà votis, obsignatisque

Propulsatur Olympij precibus periculum.


Neapolitanæ Vrbis gratitudo.

que tabulis decreuere, vt singulis annis intra Conceptæ sine labe Virginis solemnia cereum viginti pondo sacræ eius imagini, quæ in Sanctorum Apostolorum Ecclesia colitur, dedicarent. Ad hæc, vt eius cœnobij Præpositum appellarent, rogarentq; vt pro fausto suę Vrbis statu, annona pręsertim, singulis per annum sabbatis sacris ad Marianam eam aram operari Olympium fineret. Extat decretum hoc ad diem Decembris decimam obsignatum: ac quotannis qui rem communem administrant, Rectores Vrbis; (Electos vocant) Templum conueniunt, votum cereum solemni ritu dedicant, instaurantque eo accessu, ac donario accepti beneficij memoriam: vnde adaucta mirum in modum, & ad eam imaginem pietas, & in Franciscum obseruantia: qui deindè, quoad superfuit vita, anniuersariam celebritatem eodem accursu, ac studio populorum continuauit: hæsitque aræ illi pijssimi Viri nomen: ita, vt non tàm Conceptionis Deiparæ, quàm Olympij sacellum hodieque nuncupetur: gaudetque magna Dei Mater communem veluti habere cum Cliente suo aram, ac se quidem ita in ea effigie à populis coli, vt simul Francisci memoria in eadem ipsa cohonestetur.



In

Infesti Olympio mali Dæmones. Cap. XII.



VM nihil oderint magis inferni hostes, quàm piorum vigilias, afflictationes, preces, ac pro animorum salute studia, infensissimos profectò fuisse illos Francisco, necesse est, quē cernerēt affixum adeò diuinis rebus, ac summa contentione cū suæ, tùm aliorum pietati operantē. Ac primò, nil curabāt impensiùs rebelles genii, quàm virum flagrātissimū ita à pietatis studiis abducere, ac distrahere, vt vim illā feruentissimi spiritus retunderent, eneruarentq;. Hinc frequētes illi, ac peracres animi morsus, ac scrupuli, quibus diuexari plus nimio, diximus. Planè malorum dæmonum arte intendi, fouerique molestissimas eiusmodi curas, experientissimi pleriq; viri persuasum habuere. Nàm quòd externo, apertoque impetu Francisci virtus nunquam elanguisset, posse illam occulta ea pugna, ac veluti ab insidiis labefactari, non desperabant. Tùm fore, vt non satis aliorum saluti vacaret, qui metueret suæ: cùm exploratum sit, id potissimùm incommodi eos animi aculeos, internamque formidinem afferre, vt refrigerato diuinorum sensu, zeloque proximorum, nec sibi quis ab nimia anxietate opportunè consulat, nec aliis vacet. Hic in Olympio scrupulis exagitando dæmonum scopus; quæ ille machinamenta quà Maiorum obedientia, ac nutu, quà insigni tolerantia, quà precationis studio strenuè disiicere: vt iis vti stimulis ad incitatiorem in via Dei cursum vi-

Olympij scrupuli à dæmone.

deretur, lusis aduersariorum impressionibus.

Olympio insultant dęmones ranarum specie.

Hæc igitur cùm minimè procederent, non deerant & alia malis geniis tentamenta. Interdum spectris illum terrere: ac tùm quidem irridere Franciscus, ac contumeliosè appellare; ceu contemptim haberet. Illud frequentius: abire illos in ranarum formas; ac saltibus vltrò, citròque cellulam percurrere: tùm vestibus etiam adhærere: nempè vt abigendis, excutiēdisque bestiolis intentus Dei seruus, mentem ab attentiore diuinarum rerum cura auocaret. Visus semel à quodam ex nostris è cella anxiùs, ac citato gradu egredi, atque aduersum parietem petere: tùm, excussa veste, quàm celerrimè item regredi. Admirari ille: et quòd ab eius spiritus viro nihil, nisi meditatè fieri, ac seriò putaret, rem cū viro quodam graui cōmunicat, qui Olympio perfamiliaris, scire hæc poterat; audiuitque, commutatos persępè in ranunculas malos genios coram dissultare solitos, atque eius etiam adhęrescere indumentis: illū verò adeò festinanter è cōclaui egresū, vt pestem illam excuteret. Inter orandū hæ potissimùm molestię, ac nugæ; quo tempore & aliis etiam auocamentis vtebantur. Horarias aliquando preces vnà cum Ioanne Baptista Palumbo, quem illi socium addixerant, recitabat. Sub ipsum psalmodię initium auditus in ea cellula strepitus non secus, ac si displosa inibi ferrea fistula fuisset: adeò vt territus supra modum Palumbus, Iesu nomen inclamauerit. Tùm Olympius immota fronte, veluti eiuscemodi terroribus assuetus: hoc agamus, inquit, sui quisque officii munus impleat. Quo sanè nō obscurè innuit, vsitatas eas esse dæmonum artes, vt mentem abalienarent, perturbarentque;

Terrorib. agunt.

que;

que; ne Dei laudes qua deceret animi tranquillitate, atque attentione persolueret. Interdum etiam vt conceptam ab oratione vim, ardoremque spiritus retunderent, aut patientiam vtcumque irritarent, exercerentque; non iniurijs aliis non colaphis temperabant. Ac semel quidem, dato cœnæ signo, á templo, vbi immoratus orando, contemplandoque diù fuerat, cœnationem petebat, diuinitùs iam refectus, ac Deo plenus; cùm impactus, quantacũque vi potuit, Francisci vultui colaphus fuit. Ad sonitum versi, qui propè aberant, Patres, interrogare: Ecquid rei esset? At ille subridens, ac frontis quadam serenitate ictum dissimulauit: ita tamen, vt quamuis ipse tacuerit; suffusi nihilominùs liuore vultus, ac subitus tumor excussam alapam abundè ostenderint; intellexeruntque statim illi ab infernorum hostium rabie eam oris iniuriam, ac dehonestamenta extitisse: quæ ille, ceu blanditias Numinis, hilari quadam fronte, vultuque excipiebat planè liberali. Et colaphis.

At enim verò nunquam impotentiùs agere, ac furere in Franciscum inferorum hęc mostra, quàm cùm hortamentis, monitis, precibus aliquem in proximorum animis diuinorum sensum, amoremq; excitasset, aut perditos aliorum mores ad frugem reuocasset, aut quoduis aliud eiusmodi præclari operis nauasset. Tunc enimuerò acti in rabiem, expedire inferni lictores virgas, ac flagra, ac noctu præsertim implacabili odio, ac vi aggredi. Insonare ab eo impetu, ac verberum procella cellulam: cùm interim non se ipse destitueret; sed quà Cælitum præsidio, quà præsenti animo, iactisque in tortores ipsos conuiciis, quà strenuè ferendo aggressionem, Et verberum grãdine.

nem, ærumnamque egregiè propulsabat. Longior planè essem, si ire per singulas eiusmodi impressiones vellem: facitque etiam similitudo, vt non omnes, sed paucas, raptimque explicem. Dominicus Dicastiglius, vir grauis, qui à Francisci confessionibus diù fuit, in actis Neapolitanis, cùm pro testimonio dixit, id sibi accidisse, testatus est. Morabatur in Sanctorum Apostolorum domo, ac prouecta iam nocte ingẽtes audire strepitus sibi visus est in Olympii cella, quæ suæ propior. Ergo qui conatus, iraſque in illum malorum dæmonum probè nouerat, accurrere. Infracto quidem vultu, sed qui à lucta laborare nonnihil videretur, illum comperit: statimq; quod promptius armorum genus fuit, lustrali vnda parietes inter preces respersit. Tùnc interspirare Franciscus, ac suæ serenitati restitui, veluti graui quadam defunctus cura, molestiaque, quæ animum prægrauaret: eodemque in temporis vestigio prouolutus humi, exosculari Dominici pedes, ingentesque habere gratias, quòd opportunus adfuisset. Quo sanè rem sibi esse cùm aduersariis longè infensissimis, duraque in palæstra significauit.

Semel,

Et iterū. Eodem in Sanctorum Apostolorum Cœnobio cædem itidem turbæ auditæ sæpiùs à Marco Blasio, grandi natu, ac pio ex nostris viro, qui propè ab Olympii cella aberat. Pręsertim nocte quadam cùm plùs solito à clamoribus perstreperet Serui Dei Cubiculum, accurrit ipse ad fores, rem vt propiùs exploraret: audiuitque veluti alter quidem validè percuteret, vapularet alter strenuè, cadente nimirum spissa verberum grandine: cùm interim inclamaret in ea verba Olympius: Quid à me, cruentæ bestiæ, quęritis? Parui quidem ego ex obedientiæ legibus.

gibus. Quod ipſum is idem Blaſius cum Gabriele Maria Honrat Lotharingo, laici Ordinis fratre, cui demandata Franciſci cura fuerat, iterum audiuit: ac viri cladem, afflictationemque commiſerati, aperuere ex inopinato cellulam, illumq; de genu orantem inuenere. Non adducta ad triſtitiam fronte lamentari, ac conqueri: non opem poſcere, ne luctam proderet: oſtenditque nihil procellæ peruaſiſſe animum, quando quædam etiam vultu vernaret ſerenitas. Planè cùm non dubitarent, à malis geniis tùm quidem illum peracerbè acceptum, ac multo verbere mulctatum; tùm id factum putarunt, quòd eo die pium aliquod pro animorum ſalute opus ex obedientia patraſſet: atque indè concepta rabie dæmones iram impotentiùs euomuiſſe.

Illud etiam à Ioanne Franciſco Niſio, quem ſupra memorauimus, narratum, quod non minimum quidem à quodam armorũ ſtrepitu terroris habuit. Regebat is Æquenſe Cœnobium; ac ſemel ſub ipſum noctis contioinium ecce tibi in Franciſci cellula inconditæ quædam voces, turbæque adſtrepere, perindè quaſi aliqua inibi armatorum manus fureret, miſceretque omnia. Ad hæc, audiri Dei Seruus ea quidem ſpiritus difficultate, vt intercludi illi anima, eliſis faucibus, videretur. Ergo ad illum, nulla mora, Niſius: Et accepiſſe ſe auribus, inquit, alliſum, ſonitũque armorum, ceu militaris ibi furor debaccharetur. Ediceret, quęnam armata ea phalanx? an ſigna intuliſſent rebelles dæmones? Tacuit vir modeſtiſsimus, ac defixo humi vultu, viſus affirmare. Scilicet, cùm in tranquilliſsimo eo Vici receſſu prolixiorem daret diuinæ contemplationi operam Franciſcus: tùm ſuas etiam procurandis

Armorũ etiam cõflictu terretur.

dis, inflammandiſque ad amorem Dei mortalibus curas impertiebat, planè non ſine communis pietatis incremento; vtrumque ſtudium interturbare, aut vindicare ea inferorum ſpectra, ac Legiones conabantur. Qui quidem militarium copiarum, atque armatorum ſtrepitus auditi etiam in eius conclaui Neapoli fuere. Et Ludouicus quidem Antinorus, ſpectati vir nominis ex noſtris, ſumma fide teſtatur, olim ſe prima adhuc pube iuuenem in eodem Cœnobio morantem, nocte quadam non dum adulta monitum à ſodalibus, audiri in Olympii cellula veluti conflictantium armatorum agmina: egreſſumq; cubiculo, in fine quidem certaminis perueniſſe; reperiſſe verò ad ianuam pleroſque ex Patribus attonitos, metuque penè exanimatos; qui diſertè affirmabant, audire ſibi viſos equitum, peditumque concurrentium copias; & Franciſcum intrepidè obluctantem, inuocantemque vehementiore quodam ſpiritu Ieſu, & Mariæ nomina.

In morbis à malis genijs æ. anno ę.

Sed neque diſſimulandum, nocturnis eiuſmodi terriculamentis Dei Seruum, vel cùm ægrotus lecto decumberet, peti ſolitum: nempè vt afflictionem afflicto adderent teterrimi hoſtes: & quando fortiſſimum virum debellare ex ſe ſoli minùs poſſent; fœderatis cum morbo viribus aggrederentur, conficerentque. A graui corporis incommodo aliquando laborabat, atque vna illi ſalus, edormire malum. At enim, qui nunquam dormiunt peruigiles aduerſarij, id ijs curæ fuit, vt ſomnum abigerent. Id quod ſemel ipſe diſertè valetudinario aperuit. Nàm cùm is manè cellulam de more adiret: Hem, inquit ægrotus, Sus ille (ſic dæmonem per contemptum appellabat) tantùm moleſtiarum

ſtiarum

ſtiarũm intulit, vt noctem inſomnem duxerim. Verùm vt oſtenderet, quo fretus auxilio, & incolumitatem, & ab hoſtibus victoriam ſperaret, ea verba, quæ aptè magnæ Dei Matri accomodantur, vſurpauit: Ipſa conteret caput tuum. Quę quidem ea vi, ac ſpiritu viſus pronu.. .iaſſe, vt quamuis à valetudine ſupra modum langueſcerent vires; calces nihilominùs ſtrenuè excuſſerit; ceu tùm quidem dæmonem ipſum protereret, mulctaretque: vt videretur etiam cubile ipſum ab eo impetu quati. Nempè generoſiùs cum ijs agebat, veluti imperio quodam, ac poteſtate in ipſos valeret, vt modò dicemus.

Infeſtus Infernis hoſtibus Olympius: Cap. XIII.



VPERBISSIMAM malorum dæmonum nationem tùm maximè læſeris, cùm ſpreueris: Enimuerò, vt eſt appetentiſſima honorum ſuperbia; ita nihil illi moleſtius, nullumque tormentum maius, quàm contemni: Antonius, illuſtris ille Inferorum antagoniſta, ac tot palmarum athleta, hoc fermè telorum genere, contemptu, videlicet, ac deriſu, integras interdum eiuſcemodi hoſtium phalanges profligabat. Iiſdemque armis vtebatur Franciſcus, in Antonij Palæſtra egregiè edoctus. Conuiciari, illudere, deridiculo habere. Si quis interdum de vi dæmonum, eorumque malis artibus incidiſſet ſermo; aut imperare ſilentium, aut auertere ipſe aures,

Dęmones contemnit.

rcs,

res, ne honoris aliquid pestilentissimis iis geniis videretur loquendo, audiendoque haberi. Accidit id præsertim cum nostri Ordinis viro, qui coram Olympio infessam prauis spiritibus quandam domū cùm referret; descenderat iam ad ea enarranda, quæ inibi funestandis ædibus, terrendisque inquilinis patrabant. Tum ille; Apage, inquit, hanc narrationem. Illata mortalibus consilio, ac vi dæmonis incommoda, exigua illa quidem fuerint, aut magna, nūquam profectò sermonibus vsurpanda. Efferri siquidem illi, ac superbire, veluti plurimi facias, si quæ ipsi gesserint, seriò, atque ad historiæ fidem narres. Contra, ea silentio inuoluere; hoc est illos contemnere, ac magnoperè exagitare.

Eius præsentia quam ijs infesta.

Hunc igitur Francisci contemptum; tùm preces, ac reliquam vitæ sanctimoniam nimium, quantùm humani generis hostis formidaret. Facessere, erumpere, vbi is aduentasset, aut adesse, quoquo modo significaret. Illud argumento fuerit. Extremam animam quidam ex nostris hominibus insigniter pius, atque absolutissima vir virtute agebat. Planè nunquam vehementiùs, quàm extrema vitæ linea furunt dæmones. Hic machinas, conatusque suos omnes adhibere, eò etiam validiùs, quò quis innocentior, ac sanctior: & in hunc quidem eximiæ pietatis virum visi acriùs insurgere, atque arietare; adeò vt ostenderet is vultu, gestu, totiusque motu corporis in discrimine summo rerum versari, ac nonnisi cum implacabili, teterrimoque hoste rem sibi esse. Congeminare preces, qui aderant, Patres; afferre à piaculari vnda, à sacris imaginibus, à Diuorum lipsanis, eorumque imploratione opem. Frustra omnia: æstuare siquidem moribundus magis, ac

magis,

magis, luctarique, veluti in difficillima palæstra. Certamini aderat Olympij confessarius, qui quòd probè nosset, quam ille imperij vim, potestatemque in prauos dæmones passim exerceret, accersendum duxit: nullus dubitans, quin acerrimam eam pugnā vel ipsa sui præsentia profligaret. Mira res dictu: Adfuit ille vix, cùm fugatis, qui id vehementissimæ tempestatis excitabant, difflata momento procella est; redijtque infirmo vultus, animique tranquillitas, qua piè mox decessit, velificauitque in cælum.

Hoc præsens, illud etiam absens, ac facili quadam ratione: quo sanè compertum, ad exturbandos, depellendosque dæmones non Olympium, sed Olympij nomen, aut vicariam quandam eius vmbram sufficere. Villa Sancta Maria Oppidum est in Vestinis Gentis Caracciolæ. Hic ipsas Dominorum ædes lemures insederant, easque nocturnis laruis, ac terroribus infestas habebant. Procuratæ legitimis religionibus, atque ex Ecclesiæ ritu precibus non semel fuere, ac frustra: adeò vt abire inquilinos ipsos domo, atque alienis excipi tectis, oportuerit, vt incommoda euitarent, ærumnasque à malis iis genijs: qui ceu vellent & ipsi splendidè habitare, ea sibi cōclauia vindicauerant. Inter hæc eò accersitus Antonius noster Caracciolus, vir ab ea domo æquè doctus, ac probus; qui insessas à lemuribus ædes cùm sciret, ea illas obsidione exsolui Francisci ope, ac vi posse, facilè sibi persuasit. Igitur ingenti fiducia, ac spe plenus, quam ille in solemni supplicatione, die Purificatæ Virgini Sacra haberi solita, facem non ita multò ante manu prætulerat, secum attulit. Quā deindè facem, vbi eò ventum, in frusta diuisam, per ea conclauia, implorato Dei Parentis, ac Olympij

Illos domo abigit, quam insederāt

N nomi-

nomine accendit. Nec plura: quæ diù ab infernorum dæmonum turbis adstrepuerant ædes, extemplò expiatæ. Nihil ampliùs inibi laruarum, nihil omninò strepitus: altum vbique, vastumque silentium. Qui primus incoleret, ipse Antonius fuit; qui monstra facessiuisse sui experientia commõstrauit: ac parta subindè securitate, repetiuere suam sedem Caraccioli, acceptamque retulere Francisco domum, atque animorum quietem.

Humana corpora obsidentes diuexat.

Dęmones verò, qui humana corpora diuexarēt, quo imperio premeret, ac vi percelleret, haud facile memoratu est. Indignari vehementer, ac fremere energumeni, cùm aut ipse adesset, aut eius nomen pronuntiarent: vt liquidò appareret, nihil esse infernis inquilinis Dei Seruo infestius. Extat Surrenti Sanctimonialium coenobium, è Diui Benedicti disciplina, cui à Diuo Paulo nomen, eòque Marcus de Angelis, Sacerdos ex nostris sacris confessionibus audiendis adire Antistitis iussu solitus erat. Morabatur hic Christina Falangola, ex eo censu monialis, quam occupauerant praui dęmones, ac miris planè modis exagitabant. Igitur cum eò accederet de Angelis, vt adiret interdum vnà secum Olympius, curabat; id nempè cùm cæteris monialibus solatio, tùm ipsi energumenæ leuamento fore, existimabat. At enim Christina, etsi impensiùs aliquando, nempè cùm esset sui potens, efflagitabat, vt eo vir piissimus accederet: nihilo tamen minùs cùm sciret, aduentasse; internis ijs furijs agitata, turbari vehementer, infremere, nec conuicijs abstinere. Et Marco quidem indignabunda: Caueret, aiebat, ne cum Francisco eò adiret: Secus si faxit, fore, vt serò poeniteret. Contemnere ille eiusmodi minas, ac per-

gere

gere eò alacriùs, quò cerneret, torqueri inde non mediocriter dæmonem: qui quidem vt iniuriam, atque ex Olympij præsentia cruciamenta vlciſcere-tur, exercere quàm moleſtiſsimè, atque exagitare Marcum cœpit. Ac ſemel, cùm ad aram faceret, hoſtiamque iam manu teneret, vt ritè conſecraret, beſtiolam immiſit, quę peracri morſu minimum digitum peteret. Planè vt cùm abigi tùm quidem, implicitis manibus, atque ob tanti ſacrificii reuerentiam minùs poſſet, patientiam ſacerdoti excuſſerit: Poſtera deinde luce Gynæcèum cùm adiiſſet, ſtatim ad illum quadam cum reticentia Chriſtina: Rudimentum quidem moleſtiarum fuit, quod heri exhibui, cum tu: tuo malo, ac grauiore adhuc ſupplicio ſcies, quid irritata poſſit patientia, ac furor. Et conſenſere mox dictis facta. Inſequenti ſiquidem nocte quodam veluti terrę motu quati cellam, ac labare ſolum ſenſit; conſternatuſque graui metu, inclamare opem cœpit. Nec poſt multò cùm Romam peteret, in itinere, cùm quiduis aliud pertimeſcere ſibi poſſe videretur, exilire ex inopinato equus, ac non longè à præcipiti quodam loco furere; incubuitque mox in illum, excuſſum ſella: planè vt periclitari non minimùm de vita contigerit; putaruntque, qui aderant, comites, ſaltem graui aliquo incommodo affectum. Qua ipſa die cùm id, niſi occultis, infernisque nuntiis ſciri Surrenti minimè potuiſſet, Falangola infortunium denarrauit gloriabunda; malorum nempè dæmonum inſtinctu, ac nutu, qui malum creauerant. Quo ſanè ſignificarunt, quàm ſibi infeſtus eſſet Franciſcus; quando adeò impotenter eius præſentiam ferrent, ac vindicarent.

Et filijs proturbat.

Integra modò familia producenda in medium, est, quæ Viri Dei in Dæmones vim vberrimè testetur. Pater, genitrix, filii correpti, infesisique malis geniis, vitam inter teterrima ea monstra Neapoli ducebant planè infelicissimam. Nulla id loci quies, vbi perturbarent, agerentque susque, deque omnia turbarum amantissimi dæmones. Pater, Bartholomæus Auricola. Hunc eò potissimùm incitabant, vt se se præcipitem daret: ac semel quidem id effecere, vt ab altissima Pausilypi rupe decideret. Mater, Isabella Gualteria. Nihil hac fœmina miserabilius. Adlatrare, ceu canis: quicquid intus torqueret, confectus macie, ac squalore vultus demonstrabat. Geminis item cum filiis haud mitius desertorum spirituum ingenium: planè vt circumferre malorum Iliadem viderentur; grassante arcana quadã lue, quæ membra corruperat, ac miserè depascebat. Non absimilis inferorum locis ea domus videbatur, vbi tot simul corpora, atque animas implacabilis dæmonum rabies exagitabat. Iam legitimæ euocationes, ac sacra ex Ecclesiæ ritu carmina, diræq; tum Diuorum patrocinia frustra hactenus fuerant: ac videbatur profectò diuini Numinis consilium, nonnisi Francisci Olympii virtuti eiusmodi profligatarum legionum trophæa seposuisse. Igitur cùm eius in Inferos potestatẽ inaudiuisset Bartholomæus, spe bona erectus, fore sibi persuasit, vt si ab eius manu Eucharisticum Christi Corpus aliquando sumeret; soluta obsidione, tyrannidem excuteret. Nec mora: Æquensem Vicum petit, vbi tùm ille agebat; exceptusque ingenti planè commiseratione ab eo est, ac iussus bono animo esse; quando Christi Domini virtute, ac promeritis fracta iam esset au-

Coniuges, filij energumeni.

dacia

dacia Principum tenebrarum; & modò fides accesſiſſet, nihil eſſet Chriſtianis hominibus facilius, quā illos Saluatoris eiuſdem armis, ac nomine loco depellere, ac ſua in Tartara deturbare. Ergo fuſis ad Deum, ac Deiparam precibus, obſeſſum, afflictumque miſerandum in modum virum diuino Altaris Epulo reficere ſua manu inſtituit: idque dum per pluſculos dies continuat; deſeruere deſertores angeli ſtationem; ac reſtitura Auricolæ libertas, incolumitas, ac ſua mens. Edocta hinc coniux, quem imploraret libertatis ſuæ vindicem, eundem ipſum eadem animi fiducia adiit: ac iuſſa recognoſcere, atque expiare conſcientiam, admiſſa à Franciſco ad ſacram Synaxim eſt. Libata vix ea Altaris hoſtia, cùm viſa ex eius ore flamma erumpere: nempè inuoluti ſuo igne euaſere, redieruntque ad ſtygem dæmones, relicta, quam diù inhabitauerant, ac diuexauerant, miſerabili fœmina, quæ prouoluta ſtatim humi, grates Deo, ac Dei Seruo egit. Illud hic porrò non diſsimulandum. Cùm Vicum petiit Iſabella, diſceſſerat iam Neapolim Olympius; atque adeò manere in ibi oportuit, quoad ille poſtliminio rediret. Nec ita poſt multò, dum is reuerteretur; cùm id ſcire Iſabella minimè poſſet, audita diſertè pronunciare: En meus tortor venit. His dictis, quæ non dum apparuerat, viſa mari cymba, quæ aduentaret: ac dum explorant, comperiunt, aduectum ea Olympium, quem tortorem ſuum energumenæ mulieris ore appellauerat dæmon; vtpote qui viri virtutem probè noſſet, ac prædiuinaret, ea mox ſede ab eo exturbandum, vti accidit. Poſt parentes filios etiam, haud benigniùs quidem ab infernis hoſpitibus habitos, ab ſua lue vindicauit. Adducti

In libertem aſſeruntur.

namque

namque ad Franciscum arreptitii adolescentes, expiatique religionibus, ac precibus, agnouere & ipsi, abactis extemplò insessoribus, qua ille potentia, ac virtute in expugnandis Inferis valeret: atque ita asserta in libertatem familia est; ac veluti ab hoc Hercule Augiæ stabulum repurgatum. Extant & alia eiusmodi exempla, quæ docent ad Francisci voces, ac preces fugari repentè solitas fœdissimas Inferorum belluas: quas etiam, cùm opus esset, baculo mulctabat, abigebatque. Visus nanque non semel vultu quodam subirato fustem ad suæ cellulę fenestram impingere, veluti aut expelleret aliquid, aut percuteret: certè, vti constans omnium erat opinio, prauos tunc genios, qui ad ipsum accedere propiùs, ac molestiæ esse ausi fuerant, intentato, impactoque baculo fugabat, aut meritas pœnas verberibus exigebat. Quo sanè ostendere videbatur, quo illos loco haberet: quando cum iis, veluti cum vilissimis mancipiis, atque ex intima sorte nebulonibus fuste ageret. At enim ne plus æquo inter desertores angelos detinuisse videar De Virũ, de his hactenus: inuitantque cælestium ordinum Angeli, vt de sua ipsorum in illum beneuolẽtia aliquid dolibemus.

Angelorum in Olympium blandimenta, & studia.

Cap. XIV.


ECVLIARI in Angelos ferebatur religione, ac studio Franciscus, quorum tutelæ, ac fidei commendata cùm animorum, tùm corporum momenta, salutemque mortalium nouerat. Suum præcipuè Tutelarem Angelū mirum, qua reuerentia, cultuque prosequeretur. Destinauerat illi quotidianum precationum pensum, quod & summa animi attentione persoluebat: & si quid aggrediendum difficilioris operis, etiam congeminabat. Nihil eo inconsulto agere: cauebatque maximè, ne inconcinno aliquo, seu verbo, seu gestu præsentem læderet. Quædam etiam in Tutelarem suum vrbanitas inerat. Eundum nempè foret, aut standum: ingrediendum, egrediendum, id ipse quadam oris modestia curare videbatur, vt præiret Angelus, eandemque ipse aliis religionem impensè propinabat. Cùm Diuos alios intimè colendos, tùm maximè Angelos, monebat: opportunitates ab iis existere omninò magnas: interpretes, nuntios, oratores esse quàm disertissimos apud Deum. Semel quis votiuam quandam tabellam, beneficii testem dedicare cogitabat. Plerique in ea è diuorum censu descripti; quibus ille, ne quid deesset, appingi & Custodem Angelum iussit.

Angelos principe studio colit.

Promerita hæc eius in Angelos singularis obseruantia,

uantia, ac pietas, vt ipsum viciſſim Angeli ſuis ſtudiis complecterentur, honeſtarentque interdum præcipuis beneuolentiæ argumentis. Occultis planè modis hæc, ac veluti ſecretiore in conclaui, vt manare in vulgus, ac ſciri minùs potuerint. Attamen non ita latuere omnia, quin aliqua diuinitùs, aut coniecturis comperta, fama euulgauerit. Neque

Adſunt Olympio angeli.

verò eiuſmodi in Olympium ſtudium obſcurè Angeli commoſtrarunt, cùm illum aliquando per tenebras, ac difficili via deduxere domum. Percelebre Neapoli eſt Diui Martini cœnobium, monte impoſitum, quem à Diuo ipſo Martino vulgò appellant. Ciuitati incubat, eiuſdem Vrbis, tùm Neapolitani Crateris, ac reliqui maris proſpectu amæniſſimum. Incolunt Cartuſiani Patres, lucentq; omnibus è ſummo eo loco tantæ diſciplinæ exempla, ac mores. Optauerant diù religioſiſſimi Patres ad piam animi relaxationē, ac deuotionis ergo familiari Olympii conſuetudine, ac colloquio frui: factaque à Maioribus facultate, adiit ille; ac ſolidum diem moratus cum iis eſt ingenti quidem cum eorum voluptate, ac fructu. Veſpere redeundum illi erat longiore quidem via, qua venerat: nam quod breuius eſt iter, prçceps illud, ac præruptum, difficili quidem aſcenſu, difficiliore deſcenſu. Ergo dum currum cum ſocio expectat; aduertunt, feselliſſe rhedarium fidem: atque intendentibus ſe ſe tenebris, accliui, abruptçque viæ ſe committere cogitabant: anxiè quidem, ne per ſupina ea loca ſub id maximè noctis tempus falleret veſtigium; metuebatque Frâciſco ſocius, nempè Seni, & cui firmæ non ſatis vires. Inter hos animi æſtus, ecce tibi viri quatuor ſe ſe obiiciunt, graui ſpecie: interrogant, num is

eſſet

esset Franciscus Olympius? Affirmantibus se non modò comites, sed viç duces exhibent. Igitur abruptum, cœcumq; à tenebris iter parum est, illos nullo incommodo emensos; nam festinato mirè gradu ac ceu volatu quodam, dùm longiùs adhuc abesse putant, peruenisse se ad Sanctorum Apostolorum cœnobium aduertunt. Viri autem illi quatuor, dum gratias habere Dei Seruus parat, euanuere. Planè haud ex vano putarunt, Angelorum veluti quadrigam eam fuisse, quæ breui, ac compendiario quodam itinere vexerit domum Olympium.

Domum mirè deducunt.

Atque hoc quidem semel, illud sępiùs, quod multorum fide constat: nempè Angelos illum à somno excitare solitos, vt rerum diuinarum contemplationi, ac cæteræ pietati vacaret. Nocte, vti in tempore significatum est, litare Deo precibus consueuerat Franciscus; & quòd prolixiùs oraret, anteuertere nocturnum tempus, ac suffurari se quieti, ac somno oportebat. At enimuerò, quòd ipsa interdum horologia, quæ vigilias, quietem, ac preces distinguerent, aliquando non suppeterent, aut fallerent, aderant tunc peruigiles excubitores Angeli, qui ostium pulsarent, excitarentq; Id quod auditū, exploratūq; accuratè à plerisq; è nostris est, qui proximè ab eius cella aberāt. Etenim cùm nocte intēpesta, atq; alieno prorsùs tempore pulsari sæpenumero eius ianuā inaudiuissent, nec facilè sibi persuaderent, vsq, adeò intempestiuè abrumpi à nostratibus Viri somnum posse; excubare, ac rem diligenter anquirere decreuerunt. Itaq; stata hora pulsata ianua est: nec mora: exiliunt, inspiciunt, ac neminem prorsus reperiūt: quod dùm iterum, & tertiò ingenti cū admiratione obseruant, in eam tandem iuere sententiam,

A somno excitant.

O An-

Angelos eos esse, qui horam enunciarent, ac sua Francisco tempora distinguerent. Quòd si longiore interdum spatio ad orandum, piumque aliquod opus obeundum indigeret; anticipare tùm quidem signum excubitores, illumque excitare maturiùs consueuerant. Neque omittendum, ægrotasse aliquando illum à graui erysipelate: ac tùm quo tempore decubuit, abstinuere eo munere Cælites: nempè vt morbo, curationique consulerent quiete: ac simile vero est, qui incolumis viri vigilias exercendæ pietati curabant, eosdem ægrotantis somnũ non modò non abrupisse; verùm, vtpotè saluti instaurandæ opportunissimum, etiam conciliasse.

Non exiguum hoc planè, monitore Angelo, ad nocturna orationis pensa surgere. Illud splendidius; sacris ad aram operanti præsenti ministerio adesse prænobiles eos cæli ciues, ac sacrificium insolito quodam obsequio, cultuque prosequutos. Religiosissima quædam fœmina in sanctorum Apostolorum templo assidua erat. Mores informabant ad omnem pietatem nostri homines; animique potissimùm deiectione, ac modestia solida eius virtus nitebatur. In rerum etiam cælestium contemplatione, ac diuinis mysterijs multa erat. Hæc semel Olympio ad aram Diuæ Virginis sacrificanti aderat: & quo tempore abluendæ manus essent, ad ea verba: Lauabo inter innocentes manus meas: abrepta à sensibus, visa sibi Angelum videre, oris gratia, ac luce quadam longè pulcherrimum, qui velut aulicus quidam puer, composito ad obsequium vultu aquam illi funderet; tùm linteum abstergendo porrigeret. Restituta hæc sibi, aperuit illicò rem confessario, qui de his erga Dei Seruum blanditiis

Sacrificanti ministrant.

atque

atque honore Cœlitum in sinu magnoperè gauisus, mulierem monuit, vt quando ita honestari pios viros cerneret, curaret ipsa pietati impensè operari, atque amare vehementiùs Deum. Planè Angelos missarum sacrificijs reuerentia, cultu, obsequio turmatim interesse, comperta res est. Testantur id cùm A alij satis multi, tùm plerisque in locis B Ioannes Chrisostomus, de quo item Diuus C Nilus memoriæ prodidit, ipsum sacrificij tempore eiusmodi Cœlitum phalanges perspicuè videre solitum. *Vnde admiratione, ac lętitia plenus* (verba sunt Nili de Chrisostomo) *amicis multum spiritualibus seorsim narrabat, quemadmodum, cùm sacerdos oblationem sanctam facere inciperet, plurimi angeli è cęlo lapsi, splendidissimis stolis induti, nudo pede, aspectu intento, vultu demisso circumstantes Altare, magna reuerentia, quiete, & silentio vsque ad mysterij consumationem assistunt.* Obire igitur aram venerationi, timorique immixtos, solitos Angelos, passim legimus. At enim ex sacerdotibus aliquem id vnquam fauoris promeruisse, vt Angeli ipsi, affusa manibus aqua, datoque ad abstergendum linteo, inseruirent; haud facilè quis in sacrarum historiarum monumentis reperiet, vti de Olympio modò narrauimus piissimæ mulieris fide: quæ iterum dum ad Marianam eandem arā eiusdem sacro interesset, facto itidē mentis excessu, Christum Dominum vidit grauissima oris specie, qui Franciscum benediceret, verbis conceptissimis inquiens: Hic est seruus meus, quem vnicè diligo. Quod illa ad Confessarium item detulit: cuius iussu quæ semel, ac iterum viderat, suis literis consignauit: ita tamen, vt clàm omnibus ad certum tempus haberi, & cùm euulgari postea ad

Præsētes missæ sacro Angeli.

A. Ambro. in c. 1. Luc. Dam. Epist. 50. ad Arc. Bis. Areop. de celest. Hier. cap. 5. & 9. B. lib. 6. de Sacerd. C. Epist. ad Anc.

Dei gloriam contigisset, suum dissimulari nomen, voluerit,

Olympij in morbis virtus .
Cap. XV.


Aletudine, ac morbis nihil est, quod hominum genus magis afficiat, ac premat. Hostibus, periculis, alijsq; fortunę aduersis nō statim cedimus: obnitimur plerumque præsenti animo; emicatque tùm maximè generositas, ac vigor, cùm in palęstram euocati, eiusmodi cum infortunijs conflictamur. Morbis nulli vnquam obluctari contigit: dat statim quisque manus, ac ceu victus, prosternitur: idque eo quidem nomine longè miserrimum, quòd rarò in ea corporis clade non animum afficiat languor. Remitti Virtus, rigor, ac disciplinæ nerui; eosque interdum cernimus plus nimio indulgere sibi, quos aliàs valentes, ac integros, factos ad omnem austerioris vitæ specimen dixisses. Scilicet, cùm nihil tùm non honestet naturæ imbecillitas, ac morbus; facilè è statu erectæ mentis dilabimur ad illecebras: emolliturque hinc cum exteriori homine etiam interior, ac morbus morbum facit. Iam verò, Franciscum grauiter identidem decumbentem, varijsq; morborum generibus implicitum in præsenti repræsentari, erit profectò pretium operæ; vt agnoscat statim lector, Viri virtutem longè fuisse vigorosiorem, quàm vt illam ægritudines, ac dolores frangerent; neque adeò vnquam desęuisse corporis incommoda,

Labefactatur a morbis animus.

da,

da, vt ad animum refrigerandæ pietati, ardorique spiritus peruaderent: atque interim frugiferum sanè exemplar extabit, vnde in morbis non tolerantiam modò, sed & cęteram etiam disciplinam, ac veluti rationem, modumque ægrotandi petamus.

Vsus quidem est Olympius magnam vitæ partem integra valetudine, quam etiam præclaro vsu prosperiorem reddidit. Nam veluti non vtcumque, sed athleticè constarent vires, visus nulli vnquam labori parcere. Obire disciplinæ munia ad vnū omnia: diurnæ, nocturnæque psalmodiæ inexhausto quodam spiritu interesse: ieiunia, non ea modò, quæ leges nostræ præscribunt, sed alia extra ordinem seruare; pane interdum, ac frigida contentus: orationi cùm die, tùm ad multam noctem vacare: vrgere non vnis afflictationibus corpus: dare etiam proximis operam: planè vt nullam vnquam sibi ab officiorum assiduitate relaxationem, ac spiramentum indulgeret. Tuendæ verò valetudinis studium illi prorsùs nullum: adeò vt cùm intemperie, fluxuq; capitis aliquando laboraret, exorari nunquam potuerit, vt aliquid medicarū rosarum sumeret: quòd diceret, naturam eiusmodi blanditijs facilè assuescere: superabatque ferendo leuia isthæc incommoda: atque id interim illi curæ, vt tota corporis incolumitas militaret Deo, qui dederat. At enimuerò, vt fluxa sunt mortalia, sit quispiam licet firma admodum corporis habitudine, succedente nihilominùs mox æuo, tentari morbis, eorumque impressionibus labefactari, necesse est. Id quod Dei plerumque consilium est, vt pietatem, ac spiritum ad hanc ægritudinum cotem expoliat, ac materiam det, segetemque virtuti. Atque hac quidem palæstra ex-

Olim firmæ Olympio vires.

cepit

Postea cepit Franciscum diuinum Numen. Enimuerò ab morbis cō anno vertentis seculi tertio decimo exercere illum afflictatus. grauissimis morbis cœpit: attritæq; tractu temporis, ac sensim vires: adeò vt sub ipsum vitæ extremū cadaueri simillimus videri posset; vtpote quem vis corporis, ac vox ipsa, anhelitus, spiritus destituerant. Reciprocare mala, atque aliis alia succedere vicissim videbantur. Grauissimis modò febribus laborabat; modò peracerbis laterum doloribus; podagra interdum, mox chiragra, tùm erysipelate: denique nunquam ferè à morbis feriari videbatur. In his incredibilis tolerantia, de qua suo loco: & quod rarissimum planè, vsque adeò præsens, atque ardens illi deuotio, tùm ipsa in primis cū Deo vnio, In quibus ac si optimè valeret, responderetque exterior mem- pietatem brorum vigor internæ virtuti. Hinc meditari, ora- probat suam. re, psallere: quotidianam ad Coelites pietatem, stata pro defunctis, ac pro viuentibus precum pensa in ipsa ægritudinum molestia, atque acerbitate persoluere: Christi Domini Corpori quotidiè communicabat; quo pietatis, atq; animi sensu, quo ardore spiritus, nullus profectò explicauerit. Anno vertentis sęculi quartodecimo erysipelas, grassante etiam ad reliquam corporis cladem febri, vultum ita occupauit, vt oculos ipsos inualerit, ablata etiam vsura lucis. In molestissimo eo rerum statu non se ille destituit. Nam vt sunt opportunissimę diuinis cōmentationibus tenebræ, vsus ea oculorum nocte est ad attentiorem rerum cælestium cōtemplationem, ac psalmodiam. Iterrogatus, an assiduam illam cum Deo vnionem eriperet atrox malum? negauit, eam vim morbo, vt à Deo cogitationes, curasque suas auelleret, & quamuis nonnihil afferret impedi-

dimenti naturæ languor; ad eam nihilominùs difficultatis cotem exacui affectus suos, affirmabat; meramque meridiem in mediis ipsis tenebris esse animo, siue lucem ad contemplandum, siue ardorem ad amandum requireres.

Eximia item in eo erat in eiusmodi morbis animi tranquillitas. Si vis mali, atque inde periculum gliſceret, pronuntiarentque seuerè medici, non tristitia, non metus vultum mutabat. Si spes deinde, imminuta nonnihil ægritudine, animos faceret, non ideò exhilarare, atque exporrigere plùs æquo frontem videbatur. Mortis namque, ac vitæ medius, in Dei voluntate, ac nutu quiescebat; ad quem mirũ est, qua se mentis alacritate, securitateque componeret. Planè cùm sibi persuaderet, à Dei in nos beneuolentia bona, ac mala omnia existere; æquè ęgritudinem, ac remedia adamabat. Et remedia quidem hoc potissimùm placendi Deo studio libenter admittebat: nisi quid in ijs, aut peregrinæ artis, aut nimii sumptus cerneret. Contristari, testariq; mœrorem vultu tùm quidem videbatur. Scilicet, ita curari optabat, vt elucere in ipsa curatione frugalitatem, ac paupertatem vellet; metuebatque vehementer, ne dum incolumitati consulerent, votam inopiam, ac cæteram disciplinam splendore quodã, pretioque labefactarent. Id semel planè non sine admiratione accidit. Ægrotabat grauiter; & quòd vis morbi, ac nimia corporis imbecillitas nescio quid posceret præsentissimi pharmaci, quod multo constaret; à medicis præscriptum: coemptumque, allatum domum est. Quod vbi ille resciuit, visus incredibili quodam sensu affici, ac lamentari etiam, atque etiam, tantùm æris pro vilissimo, ac nullius

Et animi tranquillitatem.

Et in remedijs paupertaté,

æris

æris capite insumptum. Nimirum, aiebat, longè vilioris se pretii esse, quàm medicinam. Quid inutilem vitam tanti emerent? Cur adeò pretiosè, ac splendidè curarent vermem? Scirent, paupertati quęsitissima ea remedia molestiora esse, quàm morbum. His dictis, conuersus ad parietem nouus is Ezechias, tacitus, veluti quiesceret, diù mansit: tùm perinde quasi è somno excitatus: sibi quidem, inquit Patribus, meliùs esse. Adeuntibus verò medicis, depræhensus penè sanus: quocirca abstinendum pretioso eo pharmaco fuit, quod decreuerant; putaruntque Patres, Olympium, qui tanti fieri valetudinem suam, ægrè tulerat; conuersum ad parietem, eo silentio disertè perorasse apud Deū causā suam, ac felici facundiæ, ac precum successu depulisse à se medicinam simul, & morbum.

Porrò inter hæc morborū incōmoda cū proficeret ipse plurimū, augeretq; à tolerantia, atq; à cætera virtute promerita; tùm illud cū primis curabat, vt alios item nō modò exēplis, sed verbis etiam, ac monitis erudiret. Nàm quòd periculosè plerūq; decūberet, manabat vix invulgus rumor, Franciscum ægrotare; cùm, supremum eum morbū rati, accurrebant certatim ex omnium hominum gradu Neapolitani; partim vt officij causa inuiserent, partim vt nouissima ab eo verba haurirent: hi se, illi sua, ac familias vt commendarent: Gratum hoc illi accidere, atq; ad gustum humilitatis minùs profectò poterat: præsertim quòd veluti in cōmuni quadam direptione expilari cellulam, atque in modicam eā suppellectilem iniici manus, ac seponi deuotionis ergo, suismet oculis cerneret. Excruciari intimè hac mortalium opinione, cultuque sentiebat: vt qui ni-

Inuisētes monitis instruit.

hil

hil horreret magis, quàm à sanctimoniç fama honoris argumenta. At enimuero sensum hunc animi consopire fructuosiore mox cura videbatur. Intentus quippè in animorum lucrum, vt excipiebat perhumaniter adeuntes, ita abire illos cum fructu, cupiebat. Alloqui proindè incredibili quodam spiritu; ac veluti non lecto decumberet, sed è suggestu quodam ad concionem declamaret; præferuida quadam vi dicendi monere, hortari, ad virtutis laudem, studiumqne incendere, omnium planè, quotquot aderant, admiratione; quòd in tanta virium imbecillitate suppeteret viro vigor, ac ardor. Fraudi quidem non mediocri affectæ saluti ea erat hominum celebritas, atque ipsa præsertim dicendi cōtentio: attamen pergebat vir flagrantissimus, quòd operepretium faceret non exiguum. Et anno quidem voluentis seculi quarto, & vigesimo, quo penè conclamata eius vitę salus fuit, subirasci medicos oportuit, interminatos, nisi adeuntium frequentiam, ac dictionis asiduitatem cohiberent; fore, vt ipsi decumbentem, quem adeò illa læderent, non vltra inuiserent: quod ille non æquis omninò auribus accipiebat: quòd dilabi rei bene gerendæ occasionem cum frequenti, attentaque, atque adeò docili concione cerneret.

Integros autem, ac sanos ad se aduentantes ita in spiritu procurabat opportunisimis, quæ modò diximus, adhortamentis, vt singulari quodam ingenio charitatis ægrotantibus etiam ægrotus consuleret. Mittebantur ab exteris, viri Dei percupidis bellaria, ac secundarum mensarum deliciæ, quas mirum qua grati animi significatione acciperet: idque in primis, ac summa ope à mittentibus conten- *Aegrotus ægrotos iuuat.*

debat, vt quod dono darent, non sibi, qui non id vnquam beneuolentiæ promeruerat, sed Deo donarent. Sic nempè, neque onerari se, suamque modestiam beneficijs; & fore, vt oblatum Deo munus gratius ipsi redderent, ac magnificentius. Has porrò eduliorum illecebras, vt aliorum in se beneficentiam vectigalem pauperibus faceret; ægrotantium inopum leuamento statim destinabat. Nam facta à maioribus facultate, percelebri nosocomio, quod à salutata ab Angelo Virgine Neapoli nuncupatur, mittebat. Hoc, scilicet, præcipuum morbis suis solatium: hæc suarum ægritudinum lenimenta, recreari suo munere inibi decumbentes: planè vt mirarentur plerique omnes, eum, qui adeò proprijs ęrũnis premeretur, vacare alienis infortunijs posse, oblitumque sui, alios commiserari.

Agritudinum exitum cognoscit.

Ad extremum recenseri pleraque adhuc possent de constantia, de contemptu vitæ, de pietatis vsu, de amore in Deum, de sui demissione, quas ille virtutes mirificè intendebat, exercebatque, dum ægrotaret: at abundè fuerint, quæ diximus. Illud non dissimulandum: nempè perindè ipsum pręuidere solitum ægritudinum suarum exitum, ac si superiore quodam lumine, ac monente Deo ipso, cognosceret. Et in ea quidem, quæ suprema illi fuit, valetudine, vt in loco significabimus, sub ipsum mali initium re nondum comperta, certò se excessurum pronuntiauit. In cæteris verò, etsi addubitabant vehementer medici, ac nonnunquam etiam à vi morbi vitæ desperarent; ipse nihilominùs, crescente licet aliorum metu, ea quidem securitate de salute sua loquebatur, veluti iam conualuisset. Et in Vici Aequensis cœnobio id accidit. Excruciabat illum, vt

cum

cum maximè laterum dolor, continuus æquè, ac peracerbus, planè vt supremum illi exitium afferre videretur; cũ ex nostris vnum, qui aderat, sui intimũ interrogauit: Quantum vespertinarum precum hora distaret? Mirari ille, quod non eiusmodi interrogationes Francisco solitæ. At enim vbi eadem ipsa hora doloribus defunctum, illum penitùs conualuisse, aduertit; tunc enimuerò facilè sibi persuasit, non modò de salute vtcumque illum diuinitùs monitum; sed de hora etiam, momentoque certiorem factum.

Occasione ægritudinum ex Olympii vena sanguis.

Cap. XVI.



A Frequenti morborum, quos modò loquuti sumus, impressione mitti ex Olympii vena sanguinem, persæpè oportuit: qui quidem aliquorum pietate exceptus, seruatusque; dum mirè purpurascit, ac floret, collatisq; etiam beneficijs inclarescit, Viri Dei virtutem clariorem reddidit, atque inducto veluti quodam minio, etiam pulchriorem. Quocirca post ægritudines opportunè hic se se obijcit sanguis, sanè non omittendus, vt in historijs item efferuescat, perennetque, qui citra omnem corruptionis labem vitreis liquescit, ac viuit in vrnulis. Igitur ab insigni opinione, quæ de eius sanctimonia Neapoli percrebuerat, quicquid laciniarum, ac suppellectilis eius fuerat, in pretio cùm haberetur, tùm ipsum in primis sangui-

nem cùm secari venam contigisset, ceu quid pretiosius, impensiùs efflagitabant. Accipiendus clamerat, ne virum modestissimum contristarent, si aduertisset. In eo proindè surripiendo certare nostri, ac exteri: & medici ipsi adesse dedita opera sectioni curabant, vt saltem sudariolum arte quadam, ac furtim intingerent, asportarentq. Qui primus ampulla illum vitrea exceperit, seruaueritq; is fuit Gabriel Maria Honrat, Lotharingus, laici Ordinis frater, quem supra nominaui: qui anno voluentis huiusce seculi quartodecimo, quo à grauissimo quodam erysipelate Franciscus laborauit, valetudinarij munere in sanctorum Apostolorum domo dum fungitur, interiore quodam impetu, instinctuque actus, seruare detractum illi saguinem statuit. Qui quidem sanguis, quòd vehementissimus tùm esset morbus, æstuante peracuta etiam febri, visus non adeò sincerus, ac purus exilire, atque adeò corrumpi citiùs debuerat. Verùm ita nulla ex parte speciem mutauit, vt cœperit etiam roseo quodam colore purpuræ mirandum in modum efflorescere: vti vernat hodièque is ipse viuidus, ac pyropo non absimilis color.

Eius sanguis in pretio.

Apud Gabrielem Mariam Honrat.

Rei fama plurimorum desideria, ac vota domi, forisque accendit: idque suis precibus nonnulli euicere, vt aliquam eius cruoris partem obtinerent. Fuere hi ex nostris Hieronymus Pignatellus, vir grauissimus, postea Archiepiscopus Rossanensis, qui Zenobiæ Pignatellæ, Cerchiaræ Marchionissæ sorori dono dedit: Paulus Philamarinus, Episcopus Caiacensis, & Fulgentius Gemma vir eloquētissimus, Margaritæ Gonzagæ, Ferrariæ olim Ducis à sacris confessionibus, qui Neapoli eo anno declamauerat;

Apud Cerchiaræ Marchionissam,

Et Paulū Philamarinum.

ac

ac ferunt, Mantuam redeuntem, Ferrarienſi eidem Principi ornatiſſimæ, quæ Olympij nomen, ac virtutem abundè nouerat, id pretioſi muneris attuliſſe. Ex exteris Octauianus Loffredus, Cannæ Marchio, vt aliqua, & ipſe eius ſanguinis particula potiretur, oſſiculum è Beati Andreæ Auellini corpore, quod in pretioſiſſimis habebat, cum Gabriele Maria diuiſit, accepitque viciſſim pro oſſe cruoris partem. Porrò quod ab ea diuiſione Lotharingo huic fratri reliquum fuit, aſſeruare is perdiligenter, atque inſigni veneratione ſtuduit: creſcebatque in dies cultus, quòd nunquam non fluidū, liquidumque, ac colore quodam florido cerneret: veluti tùm quidem ſua manaſſet vena: etſi frigidiſſimo interdum cœlo, ac reliquis temporum iniurijs ad experimentum expoſuiſſet. Ne rem ſibi percaram fragili committeret vitro, vitrum ipſum ſtanno incluſerat; ſicque tutiùs vnà ſecum circumferebat, ceu quoddam aduersùs infortunia amuletum, tutelamque vitæ præſentiſſimam. Et euenere quædam memoratu digna, quæ hic referre, non ſanè pigebit.

Et Fulgētium Gēmam.

Et Octauianum Loffredū.

Dominicus concubletus, Arenæ Marchionis filius, voti reus, petere Barium Vrbem debuit, vt ea ſe aduersùs D. Nicolaum Myrenſem religione exolueret. Commendatus is à parentibus, noſtri Ordinis ſtudioſis noſtratium fidei fuit, qui in eo illum itinere ſunt proſequuti: aderatque is ipſe Gabriel Maria, qui antequàm Neapoli diſcederet, Olympium inuiſere, vt bene precaretur, voluit: & ille fauſtum iter precatus, id magnoperè ab eo petijt, vt ſe Diuo Nicolao, quem vnicè colebat, commendaret. Ergo Barium vbi perueniſſent; & Franciſci mandata exequutus Gabriel Maria eſt, & ſimul inſtinctu quodam

Mira à Lotharingi ſanguine.

dam

Qui fe- uet. dam ad sanctissimi Episcopi tumulum deponere tantisper, quem secum ferret, sanguinem voluit. Mira res dictu: ebullire extemplò, ac veluti admoto igne incaluisset, efferuescere in spumas cœpit; planè vt metueret ille, ne diffundi contigisset. Agnouit profectò sanguis ille Appuli eius Thaumaturgi ossa, ac manes; atque eo ardore, motuque testari Olympii ipsius in illum religionem, atque intimum cultum voluit. Ebullientem verò eiusmodi ampullam cùm Concubletus, tùm nostri ingenti cũ admiratione inspexere; durauitque is ardor, ac spuma, quoad Neapolim postliminiò peruenere. In ipso verò reditu fuit, quòd effusè item mirarentur. Propè Montẽ Fuscum, quod est in itinere Oppidum, ascensus quidam difficilis viam nõ modicè quidem asperat. Hic vnum meritorij currus equum spiritus destituit, conciditq; à labore exanimis; adeò vt cũ auriga, cui Onuphrio nomen, eius vitæ desperaret, conficere illum, ac pellem detrahere cogitaret. Inter hæc Gabriel Maria: Apage, inquit, est adhuc, quod iubeat bene sperare. Sanguinis ampullam exerit, admouet: nec mora; visus euestigiò alacri quodam spiritu equus surgere; tùm currum pertrahere, ac reliquum viæ, accliue nempè iter, ac arduum vorare. Humana id ope factum, putauit auriga, rogabatque enixè, efficax adeò remedium edocerent, vt defatigatos, enectosque interdum lassitudine equos eo præsidio restitueret. At monendus tùm quidem fuit, à piissimi Viri sãguine effluxisse vim illam, quam nulla profectò exæquarent medicæ artis consilia.

Exanimẽ equum vegetat.

Illud eidem sanguini tributũ. Marcellinus Oda, Neapolitanæ Prouinciæ Visitator in Apuliam, ac

Salen-

Salentinos, vt ea Ordinis domicilia de more inuiseret, contendebat, Socius illi Gabriel Maria. Nihil tùm Apuliæ regione infelicius: imbrem quippè cælum diù negauerat, cuius duraturam adhuc diutiùs indignationem serena vbique eius facies indicabat. Sitire campi, ac segetes: lamentari vehementer coloni, quorum labores, ac spes non tempestas, sed tranquillitas, ac suda nimiùm tempestas corruperat. Populis nihil ea aeris serenitate fœdius, ac tristius, vt qui certam ab annonæ caritate cladem metuerent. Igitur Gabriel Maria regionis calamitatem propulsandam opportunissimè Frācisci sanguine, quem secum gestabat, ingenti quadam fiducia sibi persuasit. Crystallum, eo cruore nobilem, manu protendit: tùm age, inquit, Francisce, non tàm sanguis hic tuus, quàm tua in sanguine efferuescat pietas. Emolliant preces tuæ æneum hoc cœlum, ac regionem exhilarent ruentes tandem imbres. Nulla tùm quidem cœlo nubes, nullum pluuiæ vestigium: attamen non priùs postera illuxit dies: quàm largus telluri imber, alimenta segeti, genti faustitas complueritt.

Et pluuiā impetrat.

Hęc aliis Viri Dei sanguis, qui sibi etiam cauit aliquando, & illi, qui ipsummet circumferebat, deprædicabatque: quod ingenti quidem admirationi deseruiit. Socius is idem Gabriel Maria Ioannis Baptistæ Gallucii ex nostris Neapoli Sanctum Martinum, nō longè Beneuento oppidum petebat. Curru vehebantur; ac dum irent, nescio quonam equi metu, aut œstro perciti, impetu fugam arripiunt. Non rectoris peritia, ac vis, non accurrentium voces valuere, vt sisterent: raptare per summa, per ima currum, penè effractum. Dum desilire

Seruatur, & seruat,

Ga-

Gabriel tentat, fallente gradu, interceptus rota est: & quòd altera subindè, eodem impetu acta, insequeretur quadriga, obtritus iterum rotis currentibus: adeò, vt nullus dubitaret, actum de eo esse. Ille Franciscum Olympium, eiusque extemplò fidem implorauerat: eòque dum alij commiserantur, accurrũtque, surgit ipse incolumis, ac integer. Verùm, quòd per eam corporis partem currus transierant, vbi is gestare sanguinis ampullam solitus erat; nihil antiquius habuit, quàm explorare, an illi bene esset. Mirum dictu: ampullæ thecam, quam ex stanno diximus, diffutam, diffractamque comperit, vitrum omninò incolume. Quocirca gratulari illum geminum sibi beneficium contigit: seruatam nempè per eam rotarum iniuriam, & suam vitam, & Olympij sanguinem: omnibus interim, qui aderant, stupore perculsis, quòd superstitem cernerent, quem conclamauerant; & quòd violentus adeò impetus, stanno obtrito, vitro pepercerat. Hic porrò penes Lotharingum hunc fratrem cruor, qua die defungi vita Franciscum contigit, ac per octo consequentes dies visus mirè ebullire: vocatique in facti conscientiam fuere plerique è Sanctorum Apostolorum domo Patres, atque ipse in primis Præpositus, qui tùm Vincẽtius Caracciolus, postea vniuersi Ordinis Prępositus Generalis. Efferbuisse itidem, atq; in spumas abiisse, quoties de præclaris Viri laudibus, atque eximia virtute sermo esset, testantur satis multi, qui rem oculorum fide comprobarunt.

Iterum ebullit

Ab hoc veluti fonte diximus, riuulum fluxisse ad Cerchiaræ Marchionissam, ex dono Hieronymi Pignatelli germani fratris. Sua hic etiam à collatis beneficijs, patratisque miris non caruit laude: ac pleraque

Mira de eo narrãt Pignatelli.

raque de eo narrant eadem ipsa Marchionissa, & Ioseph Pignatellus coniux, Noiæ Princeps: tùm Fabritius Pignatellus filius, Montis Leonis Dux, & Ioanna Pignatella coniux, & Violantes, nunc in Neapolitano Sapientiæ gynæcèo Monialis, Anna Maria Pignatella, Noiæ Principis filia. Qui quidem omnes seriò affirmant, non semel id ipsos experientiæ tùm coram nostris hominibus, tùm coram familiaribus cepisse. In medio nempè crystallinam illam Olympij sanguinis ampullam posuisse: tùm de Viri virtutibus, morumque sanctimonia sermonem vnà instituisse, ac visum extemplò abire cruorem in spumas, atque ebullire. Ijdem ipsi Viri Principes id etiam domestici euentus narrant. Montis Leonis Ducum filius, primo loco natus, Burrelli Comes, nunc ab ornatissima coniuge Aragonia, Terrænouæ Ducis filia, Vallij Marchio, triennis olim puer ægrotauit. Vocatus Olympius, adfuit. Pia quadam fraude suimet sanguinis ampullam, vt eius attactu opem puero afferret, illi tradunt. Persuaserant nempè, è Beati Auellini corpore eum olim manasse sanguinem. Ferunt, à quadam tùm quidem vultus mutatione Franciscum non latuisse, suum esse cruorem illum: sed idipse non affirmauerim. Igitur recitare illicò ad gratiarum actionem Eucharisticum hymnum Dei Seruus, ceu beneficij iam certus: tùm efformata eadem ipsa ampulla cruce, ægrotantem signauit, ac veluti quid cælestis præsidij ex ea deriuasset, restituta puero, vt Dux ipsa Mater affirmabat, non ita post multò salus. Sanguinem verò subindè contemplatus, cùm viuidum, florentemque cerneret; magnoperè commendauit, hortarique eos proceres cœpit, vt inter præcipua,

Burrelli Comes eius attactu sanatur

In ipsa Olympij manu efferuescit. ac cariora, ceu quid pretiosissimum, haberent. Quę dū pronuntiaret, efferuescere mirè cruor; eòq; esserri, atque excrescere, vt qui longè infra medium ampullam occupabat, cùm ille in manus accepit; cùm deindè restituit, iam penè ad orificium peruenerat spuma. Addit præterea, quam modò appellauimus, Anna Maria Pignatella, Marchionissam Matrem cùm aliquid grauioris negotij domi, aut foris accidisset, inspicere solitam Francisci sanguinem, quem non alio, quam thesauri vocabulo appellabat; atq; inde vsu quodam, atque experientia euenta rerum fausta, aut secus prædiuinabat; cùm interim ingenuè fateretur, pleraque se non pœnitenda accepisse diuinitùs beneficia, eodem ipso sanguine, cui sua vox, apud Deum patrocinante. Hic porrò à Cerchiaræ Marchionissa ad Montis Leonis Ducem filium successionis quodam iure transijt, coliturque in ea domo Principe quodam studio. Annis verò superioribus Montem Leonem adire Ioannem Antonium Carafam, & Hieronymum Pignatellum ex nostris contigit, eiusdem Ducis alterum quidem germanum fratrem, consobrinum alterum, qui testati postea sunt, vidisse tùm se cruorem illum roseum adhuc, liquidumque, ac planè recentem.

Donatus Gasparus Olympij sanguinē seruat. Iam verò fuit è laicis alter, cui nomen Donatus Gasparus, qui quòd valetudinarius item esset in eadem SS. Apostolorum domo, secta Fracisci vena, vrnulam & ipse vitream eo sanguine religionis ergo imbuit: persuaserat nempè sibi, fore, vt incorruptus hic etiam, ac floridus, vti aliàs contigerat, seruaretur: atque adeò suum & ipse fontem irriguum haberet, vnde opem alijs, salutemque, cum res posceret, deriuaret; atque interim animaret, foueretque

que

que eo ſanguine pietatem ſuam. At enim luſa tùm quidem viri opinio, ac ſpes. Enimuerò aſſeruatum perdiligenter dum aliquot poſt diebus repetit, ac recognoſcit; deprehendit lapidis in morem induruiſſe: ſubfuſcus item illi color inerat, abieratque pallentes in violas roſa: ita vt cùm nihil à vulgari ſanguine differre videretur, proiiciendum non ſemel ſecum ipſe decreuerit. Accidit hoc anno vertentis ſeculi circiter vndeuigeſimo: quo tempore peruaſit apud noſtros opinio, id impenſiùs petiiſſe à Deo Olympium, vt quando non ſine humilitatis ſenſu ſuum ſeponerent ſanguinem, haberentque in pretio; cohiberet id mortalium ſtudii, & aut putrefieri ſineret, aut lapideſcere. Verùm quòd decem omninò poſt annis rediit sāguini ſuus color, ac flos, affirmandum profectò, ideo tùm induruiſſe, vt maiorem poſtmodùm admirationem concitaret noua poſt decennium purpura. Etenim eodem ipſo Februario menſe, quo exceſſit è viuis Olympius; anno, videlicet, à Virginis partu poſt milleſimum ſexcenteſimū vigeſimo nono, dum ſanguinem inuiſit Donatus, defigi ſtupore quodam contigit. Nam veluti adſtrictam diù glaciem verni ſubindè ſoles ſoluiſſent; fluidum illum, viuidunque, ac cinnabari etiam concolorem reperit. Id quod & à pleriſque tùm quidem è noſtris hominibus ſpectatum, ac poſtmodùm cum de eius virtutibus Neapolitani Archiepiſcopi iuſſu anquirerent, atque acta conficerent Iudices; is ipſe Donatus, dum pro teſtimonio diceret, ampullam ipſam ad rei fidem inſpiciendam iis attulit: duratque hodieque liquida, ac rubeſcente adhuc ea ſanguinis purpura, admirabilitas.

Qui induruit.

Sed mirè poſtea liqueſcit.

Sed neque diſſimulanda eiuſmodi item ampulla,

quæ penes Franciscum Mariam del Monaco, Drepanitanum, virum ex nostris egregiè eruditum, Romç erat, dum is Patris Generalis Consultorem ageret, acceperatque à Laurentio Gauotto, Theatini item nominis viro, Episcopo Albintimeliensi, quam & eximio quodam studio seruabat, & mox à mirabili quodam euentu cariorem habuit. Extabat tùm Romæ, vti modo extat, fœminarum familia, longè honestissima. Anglç illæ quidem prçnobiles genere, sed Christiana religione, ac pietate nobiliores: vt quæ Patriam, gentem, fortunas, vt in Romanæ Ecclesię, germanæque fidei sinu viuerent, egregia quadam animi indole, atque in ipso flore œui reliquere. Harum deindè moribus nihil religiosius, nihil modestia, grauitateque spectabilius; vt in ipsa oris elegantia pudor, ac sanctitas luceat. Mirata diutiùs id eximię virtutis Romana Aula est, adfuitque ea quidem ope familiæ, vt nunquam præclaræ exules Summorum Pontificum, aliorumque procerum beneficentiam tolerandæ vitæ desiderauerint! Familiares hæ quidem nostris, quorum opera in expiandis conscientiis vtuntur; eòque & illarum perstudiosus Franciscus Maria erat: qui, quòd sæpe sæpius sermonem cum iis de Francisci Olympii virtute, ac miris habuerat; sanguinem, qui penes se erat, spectatu planè dignum, iis afferre inspiciendum, statuit: voluptati nempè lectissimis Virginibus fore, id cruoris cernere, qui perindè liquescat, ac vernet, ceu recens manauerit. Igitur dum adit, apertaque pyxide, in qua ampulla erat, sanguinem recognoscit; quem modò liquentem viderat, aduertit induruisse; ac rei nouitate perculsus, penè gradum retulit. Nam quid inde peregrini spectaculi

Sanguis item apud Franciscũ Mariam del Monaco.

existeret ¿ aut quid vnquam admirationis afferret concretus cruor? Verùm, quòd à viuida quadam specie incorruptus adhuc videretur, fore nihilominùs pretium operæ, putauit, si sic ostenderet, quamquam induruisset. Neque mora: eas conuenit: pręfari, quid sibi acciderit: tristitiam inde suam aperire, ac dum prodere concretum; congelatumque sanguinem putat; ecce tibi fluere is ipse, ac liquescere: planè vt et miraretur ipse effusè, & solatio incredibili Anglis iis Virginibus fuerit, purum, fluidumque in vitro sanguinem cernere: præsertim quòd scirent, mutatum repentè esse, ac suo iterum murici restitutum.

Et ab eo admiratio.

Romæ item penes virum principem, nempè Frãciscum Caietanum, Sermonetæ Ducem crystallina eiusmodi recentis sanguinis ampulla extat. Addictissimus is cùm nostro Instituto, tùm Olympii nomini, quem nouerat absolutissimæ virtutis; acceptum à Ioanne Baptista Serisali ex nostris id muneris, singulari quadam religione domi seruat, ceu pręcipuum aliquod eius præsidium, ac decus. Nihil profectò cruore hoc purius, ac pulchrius: penè viuit, caletque, ac si in suis esset venarum conceptaculis. Testes sumus, quotquot penè in domo hac nostra Quirinali viuimus. Enimuerò cum Februario mense huius anni voluentis seculi quinquagesimi sexti ingenti quodam desiderio videndi eius sanguinis plerosque è Patribus teneri, inaudiuisset Dux religiosissimus; qui singulis diebus festis conuenire nostras ædes vsurpandis mysteriis solitus est, afferre ipsemet ampullam voluit. Ergo accurrimus penè omnes. Exigua quædam vrnula ea est, sed quæ non exiguam parit intuentibus admiratio-

Penes Sermonetæ Ducem sanguis

rationem. Non mòdò liquidus ibi ſanguis; ſed, vti modò ſignificatum eſt, floret, ac purpuraſcit mirandum ſane in modum. Et nobis quidem vtcumque inſpexiſſe non ſat fuit: ſed manu etiam cryſtallum attrectauimus, excuſſimus, ſuſque deque inuertimus: cum ſemper idem appareret cruor; viuidus nempè, floreus, purpureus. Oſtendiſſe illum medicæ artis conſultis non ſemel, Dux ipſe teſtatus eſt: eoſque recentem, incorruptumque ſeruari tandiù poſſe ſanguinem, omninò negaſſe, ac nonniſi diuinę cuidam virtuti id tribuendum, cenſuiſſe.

Mediolanum nonnihil etiam Franciſci ſanguinis attulit Placidus Pallauicinus, æquè nobilis, ac probus ex noſtris Sacerdos; habueratque Neapoli à Franciſco Boluito, qui ſua deinde non caruit in propulſandis morbis efficacitate, ac vi. Pleraq; is ipſe Pallauicinus ad eundem Boluitum collata beneficia perſcripſit; ex quibus quæ magis comperta, eorum nempè fide, & ſcripto, qui opem ſenſere, conſignare his literis, non pigebit. Praxedes Grancina peracuta febri implicita, inſlammataque ex mamillis altera, vitæ vehementer metuebat. Cum medicorum conſilia minùs procederent, adhiberi valentiora remedia voluit. Ergo, illa enixiùs poſtulante, allatus à Pallauicino ſanguis, quem Praxedes venerabunda, ingentique fiducia veſpere exoſculata, ita habere tùm quidem melius cœpit, vt mane abierit omninò morbus. Conſanguinea huic Angelica Grancina, cui non impar beneficium contigit. Subitus quidam morbus ita illam afflixerat, vt affecto cœtero corpore, guttur pręſertim inſolito quodam igne, veluti admota illi fax quædam eſſet, æſtuaret; amiſſo etiam penitùs vocis vſu. Inſtare iam fatum vide-

Et Mediolani apud Pallauicinum.

A quo mira

videbatur, cùm attactu sanguinis somno se dedit: at mox expergefacta, sensit, restituto gutture, ac voce, mirè conualuisse: votiuamque tabulam, rei testem benefico suo dedicauit, quæ à nostris priuatim asseruatur. Sensere & eandem hanc Francisci opem par sororum, Lucia, & Angela Valpertica. Hæc oculum, suffusa quadam caligine, penè amiserat: illi alterius auris vsus iam diù penitùs ereptus. Sanguinem vtriqe applicuit Pallauicinus: & alteri mox oculus; alteri auris redijt. Euenere hæc Iunio mense vertentis seculi anno quadragesimo primo. Quo item eiusdem anni mense Puella, quæ, casu impacta ad alterum oculum forfice, ac pupilla fœdè corrupta, eius penitùs lumen amiserat; tactu item salutaris eius sanguinis intra dies non ampliùs tres gratulata est sibi, atque oculo lumen; testata votiua etiam tabella beneficium. Postremò nobilem quandam fœminam peracerbi partus dolores sextum iam diem discruciauerant; ac nihil propiùs erat, quàm in ipso puerperio defungi vita. Allatus à Pallauicino sanguis, admotusque penè moribundæ. Nec mora: enixa fœtum est, ipsa quidem incolumi: sed partus, vti puerpera ipsa vouerat, sacro intinctus fonte, denatus terris, natus cœlo est. Quo loco illud etiam admirationi fuit, quòd efferuescere in ampulla sanguis cœperit: argumentum pronioris in fœmina pietatis.

At enim ire stylum per singula, prolixius planè esset: nec vacat, imbutas Francisci sanguine lacinias, sudariola, lintea singillatim recensere, quę, vti supra monuimus, nostrates, medici, tonsores, exterique alii, non sine quadam artis industria pietatis ergo sibi per interualla temporum se-

posue-

posuere: ex quibus deindè præsens Olympij præsidium, ac diuini Numinis beneficia sunt experti. Illud hic ad specimen referam. Leonius Neapolitanus, furore quodam percitus, in filiam aliquando insaniit; strictoque ferro, fœdum illi vulnus, vbi manus brachio iungitur, inflixit. Et curata quidem tractu temporis puella, perductumque ad cicatricem vulnus: verùm, excisis neruis, pendula, ac prorsùs inutilis remanserat manus. Lusa medicorum arte, dum intimè parentes mœrent, subit animo, esse domi intinctam Francisci sanguine laciniam; erectique grandi quadam fiducia, opportunissimum fore, putant remedium ab ea quærere. Ergo admouent: ac tùm quidem perindè confirmari manus visa, vt intra biduum accesserit illi suum robur, & vis: fuitq; deinceps cuilibet labori, atque operi par, ac si nullum vnquam læsisset ferrum.

Manus puellæ restituitur.



Con-

Consecrata à Francisco aqua Vis, & mira.

Cap. XVII.



ST quidam in Diuinis oraculis sanguinis, & aquæ nexus; salutemque mortalium in aqua, & sanguine constituit mundi Saluator. Eapropter Olympij sanguini, de quo modo loquuti sumus, opportunè aquam annectimus, quam vt communi pietati, ac postulantium morbis, cæterisque vitæ necessitatibus occurreret, consecrare ipsemet solitus erat. Accurrebant nempè passim ad ipsum ex omni gradu viri, ac fœminæ, ac pro sanctimoniç, quam de illo conceperant, opinione implorare ærumnis suis opem, ac petere ab eius virtute remedia consueuerant. Aderat ipse omnibus, eorumque propulsare incommoda quà precibus, quà sacris amuletis curabat. Hinc grana, Diuorum imagines, flosculi. Ipsa in primis aqua certis deuotionibus sacra, familiaris illi erat, distribuebatque ad omne morborum genus. Et quòd eius potissimùm oratio efficacitatem illi quandam impetraret, adderetque etiam vim piorum fides, saluberrima ea erat: vti abactæ non semel ab humanis corporibus ægritudines, vlcera, dolores, aliæq; istiusmodi pestes luculenter testantur. Vtendum hic delectu est, ac pauca stylo seligam, quæ lectori admirationem, ac voluptatem pariant: idque in primis denarrandum, quod peruulgatum com-

Aquá delēdis morbis consecrat.

R muni

muni fama Neapoli fuit. Faber quidam Ferrarius; cui Ludouico Campanili nomen, Sanctorum Apostolorum cœnobio, prout conficiendi operis alicuius occasio se se dabat, interdum aderat; atq; à quadam indole pietatis Francisci beneuolentiam, ac nescio quid peculiaris erga suam familiã studii promeruerat. Igitur, vtpote qui eius, quã modo memorauimus, aquæ vim nouerat; vt suæ domus aliorumque incolumitati consuleret, illam summis precibus à Francisco petierat. Qui quidem Dominica quadam die inter sacras diuinæ Eucharistiæ ferias artificis illius domum petasatus, togatusque egredientium domo nostratium more, nullo tamen comite, innixusque baculo visus petijsse. Dum pulsat, audit ab eius coniuge, abesse virum. Et da tu mihi operam parumper, inquit Olympius, paucis est, quod te volo. Adfuit confestim mulier, aperuitque Dei Seruo officinam: tùm ille consalutare primùm, quas in ea vidit Diuorum imagines: deindè habe, ait, hanc tibi phialam, quam Franciscus Olympius mittit: Viro tuo dabis, vbi primùm domum redierit, eritque profectò opportuna propellẽdis morbis propinata infirmis aqua. His dictis, ita abijt, vt dum obseruare illa studet, qua via tenderet, aduerterit, momentò euanuisse. Reuerso non ita post multò domum coniugi, renunciat mulier, eò Theatinum hominem adijsse, missamque ab Olympio ad ægrotantium incolumitatem aquam vltrò dedisse: ac dum Viri speciem, habitumque, atque in adorandis sacris imaginibus pietatem aperit; persuasit sibi Ludouicus, illum certè non alium, quàm Franciscũ ipsum fuisse. Quocirca, vt rem propiùs exploraret, Sanctorum Apostolorum cœnobium eodem in ve-

Eius mirè compos Ludouicus Campanilis

stigio

ſtigio temporis petit. Quid acciderit, Præpoſito, qui tûm Vincentius Caracciolus, quem aliàs meminimus, narrat. Mirari ille vehementer, ac ſuſpectũ mulieris ingenium, fidemque habere; quòd certò ſciret, neque Olympium, neque alium quempiam deſideratum ea luce domi. Itaque id conſilii cepere, vt adiret tùm quidem templum fœmina: nempè vt quem non ita multò ante alloquuta Theatinum fuerat, de vultu recognoſceret. Adit: ac tùm fortè aderant templo pleriq; Patrum, inter quos Olympius ipſe, quem illa cùm nunquam aliàs nouiſſet, vix intuita, conſtanter affirmauit, illum ipſum eſſe, qui aquæ phialam attuliſſet: agnoſcere nimirum oris lineamenta, vultus pietatem, ac ſtatum ipſum corporis. Quod ſanè incredibili admirationi fuit. Congeminari nanq; Dei Seruum oportuit, vt ſimul domi, ſimul foris eſſet. Et Præpoſitus quidẽ dũ tempus diligenter expendit, tùm accidiſſe rem comperit, cùm ille in domeſtico Sacello miſſæ ſacrificium celebraret: quo tempore impetrare magna conſueuerat: ac neſcio, an quid excogitari mirabilius poſſit, quàm affixum aræ virum aliò excurrere, ac dum Chriſti ſanguinem ritè delibaret, aquam aliò ferre ad ægrotantium præſidium. Huiuſce porrò aquæ mira comperta abundè Neapoli. Et Ludouicus ipſe iuratus teſtis hæc perſanctè, dùm acta cõficerentur, affirmauit. Se quidem impertire ſalubrem eam aquam ſolitum accurrentibus paſſim mortalibus; phialam verò nunquam imminutam; veluti refunderet occultis venis charitas, quod ipſe detraheret. Deinde ſcire ſe, non paucos grauiſſimis morbis implicitos eius hauſtu conualuiſſe: deferueſcente nimirum æſtu febrium, affuſa frigida. Poſtremò quaſdam

Quæ deinde non deficit.

Et à Margaritis emicat. veluti margaritas longè pulcherrimas in eius phialæ imo natas, pretiosiorem eam aquam reddidisse: planè, vt concursus ad eam fierent, non modò ad sanitatem; verùm etiam ad voluptatem inde hauriendam: nempè vt æmulam Erithræi maris vndam cernerent, quæ vniones ad oculorum illecebras gigneret.

Cuiusmodi quidem in simili phiala spectacula pulchriora item Neapoli fuere, ac celebriora. Rem ita habui. Ægrotauit anno vertentis seculi septimo, & vigesimo Ioseph Tomèus, ciuili iure consultus, Gricognemi oppidi Dominus. Morbum penè ineluctabilem statim pronuntiarunt Stephanus Rinaldus, & Aloysius Gratia, summa Neapoli medicorum capita; ita vt extremo veluti malo extrema iam remedia imperarent. Inter hęc ægrotantem inuisit Ioannes Angelus Barilius, Caiuani Dux: & ille, quòd sciret, Olympii consanguineum Caiuanum, rogare etiam, atque etiam, si rei aliquid, quod à Dei Serui manu accepisset, sibi domi esset, cum primùm mitteret. Comperta sibi Viri promerita, & quæ passim conferret mortalibus beneficia: eòque excitasse ad bonam spem animos, fore, vt eius ope conualesceret. Postulatis, ingentique viri fiduciæ illicò respondit Caiuanus: acceptamque non ita pridē ab Olympio aquæ phialam, Dominico Aquilę, suis à secretis dedit, vt ei ferret: qui gratulatus magnoperè, ac certam inde salutem sperans, recitata confestim oratione Dominica, & salutatione Angelica, nonnihil ex ea hausit: ac recreari tùm quidem visus: nocte verò insequente, soluta repente aluo, ita leuari morbum sensit, vt facessiuisse penitùs existimauerit. Mane, qui supremum exitium in

Tomèus grauiter ægrotat.

Olympij aqua curatur.

in foribus esse, putabant medici, atque externa die decumbenti penè desperauerant; dum nulla medicę artis ope mutatam rerum faciem aduertunt, diuinitùs id factum pronuntiant: ac tributa Olympij patrocinio, salubrique haustui incolumitas.

At enim verò quod profligandæ ægritudini præsens adeò remedium fuit, pulcherrimam deinde admirationi scenam insolita quadam rerum nouitate aperuit; quod modò innui, ac denarrasse, non sanè pigebit. Quod reliquum aquæ in Caiuani phiala fuit, asseruandum coniugi Tomèus dedit, quæ id loci reposuit, vbi stillatitię, odoratæque vndę pleraque etiam vascula seruabantur. Aliquot autem post mensibus eandem dum phialam reuisit, fuit profectò, quod illum stupore defixerit. Enimuerò grana quædam aurea susque, deque ferri in ea videt: in ipso verò fundo, vbi attolli nonnihil modico quodam cliuo phialæ solent, efformata cupressus quædam videbatur, supra omnem elegantiam pucherrima. Cuneatam, atque ad miraculum viridem aurum etiam intermicans distinguebat, illuminabatque: tùm cliuus ipse mirè viridis, radiabatque item micante auro: planè vt nihil esset eo portento amœnius, ac pulchrius. Et Tomèus quidem nil habuit antiquius, quàm vt certiorem, inspectoremque rei faceret Caiuani Ducem, qui dederat. Is verò ita tùm quidem admirari visus, vt explorare domi suæ diutiùs rem postulauerit. Ergo postera luce dum spectaculum repetit, aduertit, vernare longè elegantiùs cupressum, aurumque interuirescere maiore quadam venustate, ac luce: ratusque, haud par esse id prodigij latere; euulgare statim cœpit: ac visi cōfestim ex omni hominum gradu eò accurrere, vt rei famam

In Aquæ phiala spectacula.

famam suismet oculis comprobarent. Admirati plerique omnes, ac sapientissimi quiq; viri: fuitq; è religiosis hominibus, qui phialā inuerteret, turbaretq; ad quoddam experimentum aquam. Et cupressus quidem diuulsa tantisper eo motu videri potuit, sed rediit mox forma, venustas, concinnitas, aurum: vt adauxerit maiorem in modum intuentium cùm voluptatem, tùm admirationem. Amœnitates quidem cęli hæ sunt, quæ sanè nunquam sine Numinis consilio eueniunt: &, si coniectari fas est, ideo hæc, superstite adhuc Olympio, accidisse, non temerè putamus; vt cum is ab singulari quadam sui deiectione lucem fugeret; tùm maximè prodigiis honestaretur, celebraretq; eius nomen, ac sanctimoniam vulgus. Scilicet, nunquam non sibi lucem facit humilitas, eam dum refugit. Hanc porrò tot fętam prodigiis phialam dùm Tomèus à Caiuano repetit; audit, rem ad Albæ Ducis, Neapolitani tùm Proregis aures, ac manus peruenisse; atque oblectatum admirabilitate, eam sibi retinuisse: vsque adeò verum est, idem esse, exponi pretiosa, ac perdere. Quæ verò hisce nos literis consignamus, ipsiusmet Tomèi fide constant, cuius autographa rei narratio, sacramento etiam, ne vllus rem teneret dubitationi locus, firmata, penes nos est. Id quod & Caiuanus ipse obsignatis tabulis, testatum voluit; subscripserũtque viri proceres non pauci, qui viderant. inter quos Franciscus Salutius, Episcopus Motulensis, & D. Nicolai Bariensis Prior, & Eustorgius Agnesius, vir æquè nobilis, & grauis, aliique eius notæ: extantque in Sanctorum Apostolorum tabulario literæ.

At enim admiranda huiusce aquæ vis non ea est,

quæ

quæ exhauriri ſtylo poſſit. Sunt & alia memoratu digna, quæ non ſanè diſſimulanda. Ioannes Simon Puluerinus, honeſto loco Neapolitanus, peculiari quodam in Franciſcum ſtudio ferebatur; reſpondebatque is illi eximia planè voluntate, ac beneuolentia; vt in domeſticis rerum difficultatibus, ærumniſque familiare quoddam, certumque Puluerini perfugium videri ille poſſet. Is igitur cùm pleraque Olympij precibus beneficia identidem acceperit; tùm eius aquæ vi quædam non ſanè pœnitenda impetrauit. Semel, quæ Neapoli graſſabatur popularis gutturis lues, filium affecit: qua quidem in trienni puero, quòd eluctari morbi impetum æui imbecillitas minùs poſſet, nihil periculoſius: proindeque quòd artis conſilia luderet peſtis, nullum Franciſco opportuniorem medicum putauit Puluerinus. Adit ille domum: ac ceu verſaretur in tenui labor, affectas pueri fauces tangit, proluitque ſalutari aqua; tùm Patrem bono eſſe animo, iubet: ſciret, puerum breui incolumem fore: quod mox accidit, reſtincta, quæ guttur fœdè depaſcebat, graui lue. Iterum is idem puer inſequente mox anno neque explicare greſſus, neque ſtare, ſuiſque inſiſtere veſtigijs poterat, debilitata, videlicet, naturæ vi, laxatiſque neruorum ligamentis. Euocatus eò Franciſcus, familiaris nempè malorum depulſor; qui quidem acceptum ſinu puerũ, ingenti quadam fiducia, veluti quid præſentiſſimi remedii adhiberet, inſpergere luſtrali ea vnda inter preces cœpit; ſtatimque data ipſe dextera, moliri vnà ſecũ greſſus iuſſit: vbi ad ſacram quandã imaginem duxit; orare hic etiã tantiſper viſus: ac tũ quidem affuſo puer vigore quodam, ac reſtitutis mirè neruis, expedire ipſe gradum

Depulſi ab aqua morbi,

gradum

gradum, atq; vltrò, citroque ire inoffenso deinceps pede. Tertiò res accidit in eadem familia vel ideò silentio non inuoluenda, quod linguæ vsuram tangit. Adoleuerat Puluerino filia, ac iam quadriennis, ne dum conari verba, sed nec balbutire adhuc cœperat. Nihil eo silentio parentibus grauius, veritis, ne mutam edidissent. Consulendam obstetricem putant, explorandumq; an præcisum de more ligamentum linguæ foret. Inter hæc illos, ea de re penè ad animi deliquium tristes, Franciscus conuenit. Tristitiæ causam, elinguem nempè puellulam non sine graui quodam sensu audit: tùm iniecta ijs fiducia, implorandam Dei opem, inquit, qui *linguas infantum* facit disertas: neque insolens, compluere è cœlo linguas. Nec mora: Conceptis tantisper precibus, quam secum tulerat, sacram aquam mutæ puellæ labris admouet, signatque Cruce: quo quidem ita excitata segnis natura est, *vt loqui confestim* illa cœperit, parẽtibus *præ gaudio collachrymantibus*: ac visi tùm quidem à stupore quodam elingues ipsi, quòd vocalem filiam cernerent, quam modò ceu mutam deplorauerant. Sed hæc hactenus: & ne simus à quadam similitudine fastidio, huiusce aquæ riuos claudimus.

Fra-

Francisci apud omnes existimatio, dum viueret.

Cap. XVIII.



NNVIMVS in ipſo huius ſcriptionis veſtibulo, qua floreret fama ſanctitatis Olympius adhuc ſuperſtes; & quo paſſim cultuillũ ex omni quidem ordine Neapolitani, ac exteri venerarentur. Hoc ipſum modò aliquantò fuſius explicandum, vt ab ingenti populorum exiſtimatione, ac fama intelligat lector, aliquid longè ſupra communem virtutem in eo fuiſſe: neque enim niſi exaggeratam quandam pietatem, ſummamque animi indolem tanta vnquam conſpiratione, concentuque honoris ſummi, infimi celebraſſent. Planè neſciri optimus quiſque, ac latere pro viribus ſtudet, ne quicquid præclari operis, ac virtutis veluti ſecretiore quadam in officina clàm nauant, publica deindè lux, ac mortalium plauſus ſurripiat. Et Olympio quidem ea potiſſimùm ad cor, cella, latebræ, nox; vt qui vulgi oculis ineſſe vim quandam putabat, quę virtutem faſcino quodam labefactaret. At enim non modò non id euicit, vt ſua ſe caligine tueretur; verùm erumpente fama nominis, ſumma in luce, atque in omnium oculis verſari viſus eſt. Quod ad noſtros homines attinet, quamquam aſſidua plerumque familiaritas, ac vſus exiſtimationem minuit; hæc ipſa nihilominùs ſtudium in ipſum, venerationemque adaugebat: vt quò quis illi familiarior, eò maiorem in mo-

In omni existimatione Olympius.

Apud noſtros.

dum coleret: quòd nimirum inspecta propiùs eximia viri sanctitas maiorem sui admirationem concitaret. Nihil non serium, ac sanctum in eo cœtu, vbi Olympius esset, mutato confestim sermonis argumento, vbi is aduentasset. A multiplici eius laude nō vno planè elogio, ac nomine appellabant: vt hic quidem verum Israelitam; ille religiosum absolutissimum, alius Secerdotum gemmam, alius virtutum omnium thesaurū, omnes eximij spiritus, ac profundæ cōtemplationis virum dicerent. Apud exteros verò religiosos viros mirum est, qua floreret fama virtutis. Summa ipsa clarorum Ordinum capita non modò eius sese precibus cōmendabant, sed ipsum etiam in rebus difficillimis consulere videbantur. Et quòd scirent, nihil sanctissimo viro gratius, quàm sacrarum familiarum orationibus, piorumque operum thesauris participem fieri; certatim suo quisque corpori aggregabant, annectebantque, vt eiusmodi in ipsum alimenta, ac sanguinem, ceu suum in membrum deriuarent.

Apud religiosos exteros summo in honore.

Iam virorum principum, ac cæteræ multitudinis in ipsum studia nullus facilè explicauerit. Adire illum sapientissimi, ac nobilissimi quique viri: primarij nempè Vrbis Magistratus; tùm ipsi Neapolitani Regni Proreges, atq; Apostolici Nuntij, primæque notæ Antistites, vt inuiserent, consulerent, ac in re animorum edocerentur. A remotissimis interdum locis, non alia ex causa, quàm vt ipsum consalutarent, eiusque se fidei, ac patrocinio committerent, Neapolim aduenisse non vltimæ sortis viros, pro comperto habemus. Inter primos conuenire illum solitus erat Cæsar Montius, Apostolicus Neapoli Nuntius, postea Cardinalis, & Archiepiscopus

Et apud viros principes

Card. Mōtius

scopus

ſcopus Mediolanenſis, vir ab omni laudum genere ſpectatiſſimus, qui vel abſens id illi honoris impendebat, vt quater in anno quidam Neapolitanæ Eccleſiæ Canonicus à ſuo nomine inuiſeret, ac conſalutaret. Repetere deinde memoria cum noſtratibus Mediolani conſueuerat ſermones, quos cum eo Neapoli habuerat. Inculpatos eius vitæ mores, præcipuè humilitatem ſummoperè celebrabat: ab aſpectu ipſo angelum ſibi illum videri, affirmabat. Effigiem deindè apud ſe voluit, vt conceptam in ipſum pietatem ijs lineamentis priuatim aleret. Affectu, ac ſtudio par illi Nicolaus Herrera, Neapolitanus item Nuntius, de quo in loco dicemus. Viſi ſemel in eius cellula vnà ſimul Albæ Dux, Neapolitani Regni Prorex; Dux Alburquerquius, Prorex Siciliæ; Magnus Nauarræ Comeſtabilis, Albani Ducis filius; & ſupremus Neapolitanæ triremium claſſis Præfectus: eò, videlicet, ſanctimoniæ fama adducti, ingentique lætitia perfuſi, quòd alloquuti familiariter Olympium fuerint. Dux item Alcalenſium vnà cum ornatiſſima coniuge ſtudioſiſſimus illius fuit, cùm Neapoli ſummo iure præfuit. Abſens verò epiſtolis agebat: & in peracerba quidem Marchionis Tariffæ filij morte non aliundè ſolatium mæſtiſſimi parentes quæſiuere, quàm ſcriptis ad eũ literis, qui opportuniſſimis, pijſque monitis mederi grauiſſimo longè vulneri ſtuduit. Illum etiam Margarita Aldobrandina, Parmæ Duciſſa, ab inſigni virtute ſibi commendatiſſimum, literis appellabat, ac ſe, ſuoſque eius precibus commendabat. Illum Conſtantia Barberina, cuius extant penes nos epiſtolæ, quibus Vrbanum Pontificem Octauum, Viri fratrem, ac filios, moribus, ac purpura florentes,

Alcalenſium Duces.

Margarita Aldobrandina.

Conſtãtia Barberina Sulmonis Princeps.

tes, iuuari eius orationibus postulabat. Illum Camilla Vrsina pijssima Sulmonis Princeps, alijq; maiorum gentium viri, ac fœminę.

Môtis Regij Comitissa.

Iam quo illum loco habuerit Vngarorum Regina, cum Neapoli in Germaniam transijt, mox dicemus: interim Neapolitani Regni Proreginam, nempè Montis Regij Comitissam in medium producimus, quæ in summa rerum trepidatione præsidium sibi certissimum delegit Franciscum: Erumpente anno huius seculi trigesimo primo Vesuuio, nihil ea rerũ facie horribilius fuit. Imminere suprema Neapolitanæ Ciuitati, totique Campaniæ clades, ac vastitas videbatur. Simul caligine, ac subita quadam nocte diem intercipi: simul collucere feralem in modum, ac veluti ad tragicam quandam scenam montis verticem: quati frequentissimis, atque insolitis motibus solum: æquè remotissimas, ac proximas regiones fœdari, ac consepeliri cinere: flammas euomi, ac fluminis in morem terras alluere, ac perdere: prægrandia ab immani quodam hiatu eiectari saxa, aliaque terroris plena, ac terror ipse mortalium profectò neminem non incredibili quodam metu compleuit. In re verò adeò perturbata, dum alii alia, quà diuina, quà humana expediunt præsidia, Montis Regii Comitissa satis, superque consultum sibi putauit, si adesset domi Franciscus. Euocandum in Prætorium curat, excipitque ea quidem fiducia, veluti aduentasset securitas ipsa, ac sospitas. Regium in Sacellum vnà cum illo se se recipit: preces, fidemq; implorat: idque magnoperè ab eo petere, ne abiret: rata, tandiù ab ea naturæ malignitate se, suamq; domum securam, quandiù inibi esset hoc Palladium.

Ab

Ab eadem hac Viri existimatione, ac fama quic- quid illi aliquando vsui fuisset, vestis ea fuerit, aut alia quæuis suppellex; quicquid gestasset, contigis- set, aut sua manu efformasset, perquàm auidè expe- tebatur. Pileum persæpe commutabant, aut suffu- rabantur, cùm extra domum sacris operari contin- geret. Aquam, qua digitos inter sacrificandum ablueerat, certatim petere; adhibebantque suis, aut aliorum morbis, nunquam sine fructu. In conspi- cilia frequenter inuolabant piorum manus: quæ il- li iactura nimiùm, quantùm incommoda, ac mo- lesta accideret: quòd pernecessarijs iis oculorum præsidiis, ac velut ipsis oculorum oculis carere bo- nus Senex cogeretur. Vestes etiam occultè, ac fur- tim præcidere: adeò vt putauerit ipsemet aliquan- do, discerptam à canibus lacernam, nec aduertisse; eòque, ceu cuiusdam ignauiæ reum, in publica cœ- natione culpam semel fateri, non erubuisse. Non ipsi sacrarum precum libro parcebant, quin Diuo- rum inde imagines, signandisque de more paginis vittas, ac flosculorum folia, quæ ipse quadam in Dei Matrem, atque in reliquos Cęlites religione, aut inodorandis diuinis laudibus reponere in eo solitus erat, surriperent. Diximus in exornandis minio, auroque Sanctorum imaginibus nonnihil aliquan- do temporis ad laxamentum aliquod, aut certè ad peculiarem aliquam animi pietatem insumi ab eo solitum. Nihil impensiùs expetitum, quàm hę Di- uorum effigies, eiusmodi auri, miniique elegantiis, ac lineamentis ab Olympio illuminatæ. Illas qui impetrasset, aut gestabat pectore, vt ostenderet eas sibi maximè ad cor: aut inter pretiosissima quæque; gemmas nempè, aut margaritarum elenchos asser- uabat.

Vestium Laciniæ in Pretio.

Et Diuorũ ab eo effigies.

uabat. Cereum, quem in supplicatione, die Purificatæ Virgini sacra haberi solita, manu gestasset, infimis precibus efflagitabant; vt diuidi statim inter matronas principes oporteret: cuius frustula an præsenti aliqua ope, atque admirabilitate, plusquàm sua luce aliquando inclaruerint, alibi explicauimus.

Et Capilli

Præterea si tonderi capillos, aut barbam contigisset; planè capillus de eius capite non peribat: colligebantur; tùm exposcentibus distribuebantur. Zonam quandam, quòd tetigerat dũtaxat Olympius, ceu quid sacri, sanctique afflauisset ea manus; profano vsui adhibere vir quidam non ampliùs voluit.

Et baculus,

Baculis, cum iis vti senectuti sustentandæ oportuit, carere quàm sæpissimè oportuit; pio nimirum furto: præsertim quòd quibusdam excitandæ pietati sententiolis ipsemet inscriberet: qui quidem characteres, ac monita, non ineleganter incisa, mirificè alliciebant, prouocabantque aliorum manus. Semel accidit, vt quædam præcipuæ matronæ famula cùm totum surripere baculum, quod maximè optabat, nequiuisset; admordendo frustulum sibi præciderit; non exiguum rata, quicquid Olympii fuisset: vsque adeò virtutum, vitæq; sanctioris persuasio animos peruaserat. Qua verò solertia, ac studio sanguinem cùm tonsores, ac medici, tùm nostri, exteriq; sibi seponerent, cùm emitti in morbis contigisset, abundè in loco significauimus. Ad hęc, quicquid illi in communi mensa supererat panis, summis votis expetebant: atq; in ipsis mensæ reliquiis à Francisci vsu, attactuque nescio quid sacrarum reliquiarum, atque adpressæ religionis agnoscebant. Certè,

Et mensæ reliquiæ.

vti Franciscus Concubletus, Arenæ Marchio, vir, quem aliàs nominaui, grauissimus, in Neapolitanis

nis actis iuratus affirmauit, cùm Barram (Vicus is est non longè Neapoli, vbi is morabatur) Franciscus adiret, ac refici ibi oporteret; ciborum reliquias, atque analecta colligebant perdiligenter famuli, seruabantque: non quidem, ne perirent fragmenta, sed ne ipsi perirent. Opportunissimum namque propulsandis morborum incommodis id reliquiarũ adiumentum fore, existimabant. Et Iuuenis quidam è Marchionis cubiculo perfunctum se peracerbo dolore laterum non alio quidem præsidio, quàm iis ciborum analectis, palàm, constanterque affirmabat.

Ab hac eadem opinione virtutum autographæ eius literæ, ac quiuis ab eius manu characteres magno in pretio habebantur: dabantque nonnulli ad ipsum epistolas ea duntaxat mente, vt responsa deinde redderentur, ac pietatis ergo seruarent. Quædam in Gallia Cisalpina primæ notæ Princeps acceptas à Francisco literas non antea resignauit, legitque, quàm accenderentur ad cultum, ac venerationem cerei: rata, id honoris, ac venerationis decere Viri Dei notas, dignas nempe lumine, non secus ac Diuorum pignora. Eadem in sacra item grana, ac flosculos, & quicquid ab eius manu fluxerat, mortalium religio. Illud hic planè non prætereundum. Impetrauerat à Maioribus, vt ter in singulos annos, certis nempè feriis consuetæ Patrum refectioni aliquid ipse secundarum mensarum adderet: quod quidem additamentum Diuæ Virginis, aut charitatis ferculum appellare solitus erat. Mittebantur nempè illi quędam per annum bellariorum munuscula; quæ ipse gulæ irritamenta nunquam visus delibasse. Xenodochiis pleraque, ac domestico valetu-

Et literæ.

Et quiduis ab eius manu,

letudinario ad ægrotantium leuamentum addicebat. Quędam verò curabat asseruanda, vt ad beneuolentiæ, ac charitatis specimen ter in anno, vti monui: semel die Deiparæ à Carmelo sacra; iterum in eiusdem solennijs sine labe originis conceptæ: tertiò festa Diui Francisci Assisinatis luce, in communi cœnatione Patribus apponeret: ac tùm quidem singulis singulas inferri exiguas patinas iubebat. In patinis verò singulis hæc erant, ab Olympii nempè manu: dulciaria, quæ diximus, Beatæ Ioannæ à Cruce granum, exigua cœlitum imago, demùm exaratum eius manu scriptum, pijs quibusdam monitis instructum. Nihil profectò ijs tùm mensis lautius, ac lætiùs, quas eo ferculo nobilitaret, atque adaugeret Franciscus. Incredibilis quidem Patribus ea luce hilaritas, veluti ad solenne, ac regium quoddam epulum inuitarentur. Bellaria verò aut minimè ipsi degustabant, aut ad quandam pietatem vix: seruabant nimirùm consanguineis, ægrotantibus, ac bene de se meritis: qui quidem, quòd morem hunc, ac statas eas dies probè scirent; Patres, quos sibi aut affinitas, aut familiaritas coniunxerat, quæsitissimis precibus occupabant, vt eius annonæ, piorumque munusculorum aliquid sibi in tempore impertirent. In autographa verò, quàm diximus schedula, illud non semel ingenti cum admiratione accidit, vt ea potissimùm monita cuique obuenirent, quibus ille siue ad disciplinæ, virtutisque progresiones, siue ad internos animi motus componendos indigeret.

Statis anni feriis ab eo munuscula,

Cum hoc verò studio, cupiditateq; habendi quęcumque vel minima, modò Olympij fuissent, quodam etiam ipsum inuisendi, alloquendi, compellandi.

landique desiderium inerat passim omnibus. Inde ad eum domi, forisque concursus, quos nemo vllus facile sibi persuaserit. Si fortè Neapoli cælestibus Iubilæi delicijs indipiscendis templa obiret, sequi illum conferta hominum multitudo statim videbatur: tùm è suis quisque officinis, ac domibus certatim egredi, ac manus exosculari: ac si quæ fœminę pertranseuntem vidissent, quòd illas domi pudor contineret, è fenestris ipsis se, sua, liberos commendabant. Ibat aliquando ad Deiparam à Carmelo, eam nempè ædem, quam apud Lignarios Neapoli extare, aliàs diximus. Planè excitari tùm visę in ea vicinia ceu turbæ, effusis obuiam, circumfusisque vndique mortalibus; qui tandem vt ab eius aduentu lætitiam testarentur, ferri semel impetu quodam, ac pulsare æs campanum cœpere. Subirasci ille, ac pro modo populorum æstum cohibere: tùm quòd frustra essent omnia, aliò diuertit, atque inire inter plausus templum noluit. Huic celebritati, quæ Viri Dei incredibili molestiæ erat, consulere postmodùm Patres, caueruntque, ne pedes iret; sed aut curru, adductis vndique velis; aut cùm id posceret nimia imbecillitas, sella gestatoria, clausa item, ne vulgi oculos admitteret, veheretur. Diximus in Vrbe Salerni eorum ciuium studia, concursus, laudes, cùm eò Diui Andreæ Apostoli tumulum veneraturus accessisset. Idem alibi locorum ardor. Et Auersæ quidem, quæ Vrbs est propè Neapolim, vsque adeò efferbuit aliquando gentis deuotio, vt manus in ipsa eius indumenta inijcerent, ac penè discerpserint: ac nisi ingens quędam fama virtutum, atque animorum impetus excusasset; potuisset quidem inurbana videri ipsa pietas. Vicum, Surrentum

Ad illum concursus

tumque, vti monuimus, identidem petebat; ac tùm quidem cùm cymbam conscenderet, oppleri littus circumfusa hominum multitudine, alloqui, eiusque osculari manus, ac vestes cupientium. Et quòd aliquando citiùs solito ab eorum se se conspectu proripuerit, expedire mox plerasque cymbas, ac remis incitatissimis insequi, vt consalutarent, eiusque se precibus commendarent studio planè, affectuque incredibili visi sunt.

Sacra ab eo ministrari cupiunt.

Porrò quãuis res diuinæ propriis in bonis niteant, valeantque non aliena, sed sua vi; nihilominùs veluti nescio quid pretii adderet Francisci manus, ac opera; administrari hæc ab eo passim postulabant. Hinc ad virorum procerum vota bene precari eorum nuptijs ritè, ac persæpè oportebat: infantes item ad baptismi Fontem, aut abluere, aut suscipere: vt pauci admodum Neapoli essent, qui Olympii in sacris eiusmodi functionibus presẽtiam, atque operam non exposcerent: gratulati deinde, cùm, renascente per baptismum sobole, illam sibi Vir Dei abluendo, aut suscipiendo veluti adoptasset. Distribuere EucharisticumChristi corpus solitus erat die Marianæ Conceptioni sacra; cùm ipse solenni ritu faceret ad aram, ac votiuum munus exciperet, quod ob restitutam populo annonam Neapolitana Ciuitas Deiparæ vouerat, vti in tempore significatum est: ac tùm quidem incredibilis eorum erat celebritas, ac numerus, qui ad sacram synaxim accederent, vt Olympii manu cęleste epulum sumerent. Et ipse quidem cœtera imbecillis, vigore quodam supra vires, ac œuum diuinę Eucharistiæ erogationem diutiùs continuabat. Non defatigari, non interiungere: nisi quòd nostri homines, ne plus æquo

senem

senem debilitaret, ac frangeret labor; finem ministerio imponere, atq; abrumpere cogebant. Id autem, persæpe obseruatum, quosdam dum sacrum pignus sumerēt, precarios suos globulos piissimi Sacerdotis manibus admouere, vt tangerent, sicuti ad ipsa Diuorum lipsana fieri religionis causa consueuit.

Sed neq; exiguum id erat eius sanctimoniæ opinionis argumentum: nempè honestos quosque viros, vbi in curandis morbis medicorum sententiam expetiuissent; Franciscum deindè consulere, quem scirent, celebriore in Schola, quàm olim Hippocrates fuisset, rem medicam hausisse. Et quidem perindè quasi edocti ab consultissimo quodam eius artis viro fuissent, relictis plerumque medicorum remediis, quicquid ille præcepisset, exequebantur: ita vt probaret Olympius, aut improbaret, hinc discerent, quæ opportuna, quæ secus essent persanandis malis suis præsidia. Et ipse quidem ita adiumenta artis minimè damnabat, vt explorandam priùs opem, ac vim cęlitum duceret: atque interim ex ingenio charitatis aliquod operæ pretiū deriuare in pauperum vsum curabat. Enimuerò monere proceres, matronasque Neapolitanas frequentissimè consueuerat, vt quicquid auri in Puteolanis, aut Ænariæ balneis experiundis, aut quærendo salubriore cælo, aliisque peregrinis remediis expendissent, in pauperum vsum erogarent: eorum nempè preces longè efficaciores fore, quàm admiranda ipsa actuosioris naturæ, artisque adminicula. Et succedebāt quidem monita, instaurata per isthęc pietatis opera corporum incolumitate; quod eius potissimùm precibus tribuebant. Eiusmdi bene- In morbis cōsulitur.

T 2 nefi-

neficii compos aliquando illustris fœmina, vt quicquid eius consiliis deberet, & qua inde illum veneratione prosequeretur, ostenderet; Sanctorum Apostolorum templi chorum ingressa, quo potissimùm loco Olympius psalleret, indicari sibi postulauit: vbi rescjuit, humi confestim procumbens, osculari, ac lambere solum cœpit, quod ille pedibus tereret.

Neapolitanorum preces, ne abscederet Neapoli Olympius.

Communia hæc porrò de sanctiore Francisci vita omnium ordinum iudicia septem-Viros Neapolitanæ Vrbis impulere, vt cum Præpositis Generalibus non semel agerent, ne illum Neapoli amouerent. Quo præsidio essent Vrbibus eiusmodi notæ Dei Serui, siue superstites, siue vita functi, probè nouerant. Viuentes quidem virtutum vsu, corporis afflictatione, ac vi precum sequestres, tutelamque mortalium præsentissimam apud Deum esse. Vbi fato cesserint, Manes ipsos, ac cineres publica tutari populorum commoda, obluctari infortuniis, hominum, sydcrum, Dei tela propulsare: vt fortissimũ planè Ciuitatum munimentum, ac certa sospitatrix sit Diuorum vrna. Hinc ne peramicum Deo caput & Virum ab omni pietatis parte absolutissimum; præcipuum nempè suæ Ciuitatis præsidium, ac decus aliquando Neapolitani perderent, nostri Ordinis Moderatores, quà voce, quà literis identidem interpellabant, ne illum aliò amandarent; quem & superstitem suæ felicitatis vadem, ac vindicem vellent: & defunctum apud Deum interpretem, ac patronum. Id quod ita illi annuere visi sunt, vt ingrauescente postmodùm ætate, ne optatissimũ quidem Æquensis Vici recessum illum petere permitterent, ne Senem morbus, ac fatum extra Neapolim interciperet. Quod Neapolitanis longè gratissimũ;
nempe

nempe vt quo studio viuentem coluissent, morientem etiam prosequerentur.

Interim ad tantæ existimationis coronidem illud hic referam: nempe exaggeratam Viri virtutem ita omnium animos, dum viueret, occupasse, eòque sanctimoniæ famam peruenisse; vt fuerit statim à morte, qui ornatissimum illi Sacellum, animo destinauerit, atque ad id etiam obsignatis se se tabulis obstrinxerit: quòd ab eo hominum consensu certò sibi persuaderet, fore aliquando, vt honores illi publici Romanis iudiciis, ac summi Sacrorum Principis nutu decernerentur. Fuit is Flaminius Antinorus, Antinori, Archiepiscopi olim Materani, postea Siracusani, ac Ludouici Antinori Senioris, viri ex nostris omni laudum genere, pietate in primis, vti nostra testantur historiarum monumenta, cumulatissimi germanus Frater. Gens Antinora Florentiæ inter præcipuas eius Vrbis familias locum tenet, à qua veluti è nobili trunco auulsus olim ramus, Neapoli opibus, atque affinitatibus floruit; eique ex quo Florentia in nouam eam sedem immigrauit, suum fuit in principe templo Sacellum: quod postea primarii eiusdem templi Odèo amplificando cessere sponte Antinori; modò alium inibi tribuerent loci situm: quam quidem destinationem tempus diù distulit. Igitur Flaminius, familiæ antesignanus, simul posteritati, simul pietati suæ consulere, arrepta prçclara occasione, cogitauit. Enimverò elato Olympio, ac manante longè, latèque eius sanctitatis fama, qui tantæ Viri Dei virtuti addictus intimè erat, ab eo populorum plausu, à communi grauissimorum hominum sensu, à celebritate nominis, à miris, quæ omnium sermonibus fere-

Sacellum illi destinatur statim à morte.

ban-

bantur, fore olim putauit, vt explorata ad Romanæ censuræ libram præsigni sanctimonia, aris asseretur. Quapropter id statim mentis cepit, vt quod alibi excitandum gentile Sacellum erat, in Sanctorum Apostolorum templo, tùm quidem poneret; ornaretque: postea, cùm licuisset, Francisco Olympio ritè nuncuparet: presso interim nomine, ac publica religione, ne quid contra ius, fasque peccaret ritus, & cultus. Interim familiæ suę Serui Dei fidem, ac patrocinium abundè obstringere, existimabat, dum præter internam animi pietatem, ac studium, publicæ etiam venerationi in tempore, ac succedentibus deindè annis consuleret. Iam verò quod secum ipse agitauerat, communicare illicò cum nostris voluit; idque cum ipsis conuenit, vt eam sibi concinnandam ædiculam susciperet, vbi ossa Olympij quiescerent, pactis conditionibus, ne vnquam inde pii Manes amouerentur. Quod quidem Sacellum magna ex parte quà marmore, quà picturis, auroque exornatum, à Beato Andrea Auellino appellatur: isque modò loci genius, ac titulus: Olympij Lipsanis inibi citra omne publici cultus specimē consepultis. Quod sanè id luculenter euincit; in maxima nempè illum mortalium existimatione viuentem adhuc fuisse, cui veluti certò publicis honoribus potituro, Beatorum insigniā, ac monumenta præcoci quadam religione tantò antea, ac sub ipsa parentalia destinassent.

Sed eiusmodi argumenti hæc hactenus: neque mirum, Neapoli, vbi is ageret, hac nominis, ac sanctitatis fama floruisse, cum & reliquam Italiam, Hispaniamque, ac Germaniam etiam præclara eius virtus peruaserit. Et in Hispania quidē diximus iam

in

in Regis pinacotheca extare Francisci Olympij effigiem. Germania verò, tot licet locorum spatijs, vsuque, ac commercio abiuncta Neapoli sit, visa nihilominùs, peruagante latiùs egregij viri fama, ea exemplorum luce perfundi. Testatus hoc est Aloysius à Lusitania, ab illustri vir domo, magnorumq; Principum affinitate longè nobilissimus, qui cùm ægrotantem Franciscum semel inuisisset; id postea dum abiret, à Patribus prolixiùs petijt, vt aliquid sibi Viri Dei laciniarum impertirent. Reuersurum nempè se prope diem in Germaniam, vbi celebrari eius nomen, ac famam nouerat. Scilicet, cùm non nunquã, vti moris Genti est, peregrinari Germanos homines Neapolim contigisset, inter præcipua eius Vrbis ornamenta, quæ se vidisse, domi retulere, de Olympio etiam, cuius in omnium oculos virtus incurrebat, suis narrauerant: atque adeò piissimi Viri nomen neque in remotissima ea Germaniæ regione obscurum. Neq; verò ignorari deinde inibi terrarum is potuit, quem Maria Austriaca, Pannoniæ Regina Neapoli nouerat, & in pretio habuerat, vt in sequenti capite dicemus.

In Hispania, ac Germaniu notũ Olympij nomen.

Vnga-

Ungarorum Regina Franciscum Olympium in honore habet.

Cap. XIX.



Ommuni huic omnium Ordinum existimationi, qua diximus modò Franciscum floruisse, momentum addidit Augusta Princeps, probauitque Viri laudes, ac sanctimoniam suo etiam suffragio, atque in illum studio. Maria Austriaca Philippi Hispaniarum Regis Quarti Soror anno voluentis seculi trigesimo Ferdinando Austriaco, Vngarorum Regi, posteà Cęsari nupsit. vtque Sponsum peteret, ita in Italiam velificauit, vt Genua Neapolim transmiserit: vnde terrestri per Samnium itinere; tùm superi maris tractu emenso, in Germaniam concessit. Eius aulæ præerat summo iure Antonius Toletanus, Dux Albæ, qui Regnum Neapolitanum administrauerat, noueratque intimè Olympium: vtpotè qui conuenire interdum illum, piosque cum eo serere sermones, in iucundissimis duceret. Is, quam de optimo Viro opinionem ipse conceperat, insinuare & inclytæ Reginæ studuit: quæ quidem antequàm ex Hispania solueret, cùm fortunari profectionem suam multorum precibus curauerit, tùm gratulata in primis est; quòd Toletanus, cōpositis ad Olympiū Neapolim literis, id ab eo postulauerit, vt quando tātùm esset itineris terra, mariq; exhauriendū, adesset, ac regiam Sponsā deduceret oratione, ac votis.

Neapolim appellit Vngarorū Regina.

Nea-

Neapolim verò vbi peruenit lectissima Heroina; specimen cùm erga nostram Sodalitatem regiæ cuiusdam humanitatis, tùm erga Franciscum eximiæ voluntatis, ac studii dedit. Enimuerò post principem Vrbis Basilicam, nostram D. Pauli Ecclesiam ante alias honestare sui præsentia bis voluit: semel inter solemnes Beati Caietani Thienæi ferias: iterum recurrente B. Andreæ Auellini natali die: obstrinxitque planè non minimùm Regulares Clericos, quibus delibare regiæ eius clementiæ primitias cōtigit. Continuerat se se diù domi Regina, prosequuta consanguineum Caroli Emmanuelis, Sabaudiæ Ducis, Principis bellica laude summi funus. Quo autem die lugubrem cultum exuit, ac dispulsa veluti nube, spectandum se se Neapolitanis dedit Austriacū Sydus; Paulino templo affulsit. Excepta pro modo splendidè. Ecclesia nihil magnificentius à parietum, atque altarium syrmate: respondebatque interiori elegantiæ facies ipsa exterior, præclari operis stragulis pulcherrimè instructa. Ad Thienæi aram vbi preces fudisset, donariis etiam, quæ pietas potissimùm, ac quidam cum frugalitate splendor ornabat, affecta à nostris fuit. Oblectari mirificè eo loci cultu, ac pompa visa inclyta Regina: verùm quod præcipuæ voluptati duxit, id fuit, adesse ibi Franciscum Olympium, quem adeò sua virtus, atque aliorum plausus commendabant. Mirum, quem illi honorem habuerit: appellare comiter, ac seorsim alloqui, nec quidem raptim voluit: tùm eius se se precibus, Augustumque Sponsum, ac germani fratris regna ex animo commendauit. Cumque, vti innuimus, die B. Andreæ sacra, repetita humanitatis significatione, ad eandem æquè ornatam, ex-

Olympiū semel alloquitur.

Et iterū.

Vngarorum Regina Franciscum Olympium in honore habet.

Cap. XIX.



Ommuni huic omnium Ordinum existimationi, qua diximus modò Franciscum floruisse, momentum addidit Augusta Princeps, probauitque Viri laudes, ac sanctimoniam suo etiam suffragio, atque in illum studio. Maria Austriaca Philippi Hispaniarum Regis Quarti Soror anno voluentis seculi trigesimo Ferdinando Austriaco, Vngarorum Regi, postea Cęsari nupsit. vtque Sponsum peteret, ita in Italiam velificauit, vt Genua Neapolim transmiserit: vnde terrestri per Samnium itinere; tùm superi maris tractu emenso, in Germaniam concessit. Eius aulæ præerat summo iure Antonius Toletanus, Dux Albæ, qui Regnum Neapolitanum administrauerat, noueratque intimè Olympium: vtpotè qui conuenire interdum illum, piosque cum eo serere sermones, in iucundissimis duceret. Is, quam de optimo Viro opinionem ipse conceperat, insinuare & inclytæ Reginæ studuit: quæ quidem antequàm ex Hispania solueret, cùm fortunari profectionem suam multorum precibus curauerit, tùm gratulata in primis est; quòd Toletanus, cōpositis ad Olympiū Neapolim literis, id ab eo postulauerit, vt quando tātùm esset itineris terra, mariq; exhauriendū, adesset, ac regiam Sponsā deduceret oratione, ac votis.

Neapolim appellit Vngarorū Regina.

Nea-

Neapolim verò vbi peruenit lectissima Heroina, specimen cùm erga nostram Sodalitatem regiæ cuiusdam humanitatis, tùm erga Franciscum eximiæ voluntatis, ac studii dedit. Enimuerò post principem Vrbis Basilicam, nostram D. Pauli Ecclesiam ante alias honestare sui præsentia bis voluit: semel inter solemnes Beati Caietani Thienęi ferias: iterum recurrente B. Andreæ Auellini natali die: obstrinxitque planè non minimùm Regulares Clericos, quibus delibare regiæ eius clementiæ primitias cõtigit. Continuerat se se diù domi Regina, prosequuta consanguineum Caroli Emmanuelis, Sabaudiæ Ducis, Principis bellica laude summi funus. Quo autem die lugubrem cultum exuit, ac dispulsa veluti nube, spectandum se se Neapolitanis dedit Austriacũ Sydus; Paulino templo affulsit. Excepta pro modo splendidè. Ecclesia nihil magnificentius à parietum, atque altarium syrmate: respondebatque interiori elegantiæ facies ipsa exterior, præclari operis stragulis pulcherrimè instructa. Ad Thienæi aram vbi preces fudisset, donariis etiam, quæ pietas potissimùm, ac quidam cum frugalitate splendor ornabat, affecta à nostris fuit. Oblectari mirificè eo loci cultu, ac pompa visa inclyta Regina: verùm quod præcipuæ voluptati duxit, id fuit, adesse ibi Franciscum Olympium, quem adeò sua virtus, atque aliorum plausus commendabant. Mirum, quem illi honorem habuerit: appellare comiter, ac seorsim alloqui, nec quidem raptim voluit: tùm eius se se precibus, Augustumque Sponsum, ac germani fratris regna ex animo commendauit. Cumque, vti innuimus, die B. Andreæ sacra, repetita humanitatis significatione, ad eandem æquè ornatam, ex-

Olympiũ semel alloquitur.

Et iterũ.

V cul-

cultamque Basilicam rediisset; ita sacros Auellini Manes deuenerata piè est, vt ostenderit, superstitis etiam Olympii sanctimoniam plurimi facere. Nam compellare iterum Dei Seruum: monita formandæ pietati petere: vt sui ad Deum meminisset, etiam, atque etiam rogare.

Et tertiò regia in domo;

Ad hæc, quod supra modum alliceret indoles, ac pietas, haud cōtenta Austriaca, bis illum Paulino in templo alloquutam; prolixiùs, ac per otium eius frui moribus, atque eloquio voluit, regiamque in domum ad sui spiritus delicias euocauit. Neque facile dictu est, qua hic illum affabilitate exceperit, qua comitate sui pectoris arcana cum eo communicauerit, quàm pronis auribus audiuerit. Assidere illum iussit: quem quidem honorem, vt vir modestissimus acceptaret, deuexum iam senium suasit: caput verò vt operiret, annuente licet semel, ac iterum amplissima Regina, adduci nunquam potuit. Miscere interim de diuinis rebus sermones: ad Dei amorem regium pectus incendere: opes animi, & quæ Principum maiestatem consecrant, pietatem, religionem commendare: Diuorum, ac Deiparæ in primis tutelam ad vitæ præsidium inculcare; aliaque piè versare id genus argumenta, quæ illa perquàm auidè haurire, atq; in animum altiùs demittere visa est: planè vt transmisisse quàm iucundissimè diem, postea affirmauerit. Quæ quidem dum ille deinde narraret, temperare lachrymis minimè poterat: præsertim quòd tanti nominis Reginam puluinari incumbentem, lucubrantemque, ac variantem acu telas vidisset. Porrò cùm ad Philippum fratrem literas postea dedisset Princeps inclyta; fertur, inter alia id etiam perscripsisse, nempè Francis-

scum

ſeum Olympium virum ſanctiſſimum, & agnouiſſe de vultu, & ſermones cum eo habuiſſe: cui reſpōdiſſe Regem, accepimus, optimo ipſam iure gratulari, quòd mortalem angelum agnouiſſet, ac compellaſſet. Neq; verò obſcurum Philippo ipſi Olympii nomen, quem commendatione virorum procerum, qui Neapoli ad Hiſpanam aulam identidem aditent, aut redirent, audiuerat ſæpiùs ab excellenti virtutū vſu celebrari. Qua quidem innocentiæ fama permotus, eius etiam effigiem ad viuum ſibi exprimi poſtulauit, eamque deindè inter præſtantiſſimorum hominum ſimulacra collocari iuſſit. Et vidiſſe illam ſuiſmet oculis vir quidam Princeps, qui ex Hiſpania Neapolim redierat, teſtatus noſtris eſt. Cuiuſmodi effigies ſcimus, lectiſſimas fœminas, ac grauiſſimos etiam viros pingendas ſibi curauiſſe, ac ſuo in conclaui, ſuperſtite adhuc exemplari, deuotionis ergo habuiſſe. Et de Ioanna quidem Auſtriaca, quo ſtudio Franciſci imaginem efflagitauerit, diximus in loco. Olympii effigies apud Hiſpaniæ Regē

Porrò Vngarorum Regina non ita perfunctoriè, ac veluti in tranſcurſu inſignem eam virtutem, moreſque delibauit, vt exciderit mox animo Viri memoria. Planè neque remotior cœli pars, neque interualla temporis, neque noua dignitatum nomina id effecere, vt conceptam ſemel medullitùs in ipſum obſeruantiam, ac ſtudium aliquando abiiceret. Nouem circiter annos ab eius Neapoli diſceſſu, fungi vita Olympium contigit. Tanti funeris peruenit & in Germaniam nuntius, nec latuit Mariam, quæ iam Imperatrix. Nihil illi iucundius, quàm ea narrari, quę præclaram eius mortem, ac parentalia commendaſſent: nempè populorum concur-

sationem, studia, pietatem, encomia, plausus. Vsurpare & ipsa sermonibus eius laudes; ac gratulari, quòd sibi, & alloqui non semel, & haurire eius monita contigisset. Illud verò, quo illum in honore, ac veneratione haberet, ostendit. Nam compositis ad Patrem Generalem literis (pæerat tùm Onuphrius Amphora) affectam se vehementer erga Francisci Olympii nomen, ac promerita, significauit: ac proindè alendæ pietati, atque ad sui solatiū aliquas Viri Dei reliquias cupere: mitteret ipse, ac sciret, rem sibi longè gratissimam facturum. Tantæ Principis epistolæ exemplar, quæ ingenti existimationi, honorique Olympii cedit, debere hic nolui. Sic verò habet.

Eius reliquias petit Regina,

Reuerende, & deuote Pater Onuphri Amphora, Præposite Generalis Clericorum Regularium. Cùm pertransire me Neapoli contigit, quædam cum Frācisco Olympio momenta animi communicaui: ac planè incredibilis eius mansuetudo, vitæque sanctitas meos affectus omnes tùm quidē demeruit. Acceptis deindè ab eo literis, respondere cùm vellem, allatus nuntius est, illum è viuis excessisse: ac præterea percrebuit fama, ostendere Deum voluisse, cū in felici eius exitu, tùm aliàs, quo loco Seruū suum habuerit; patratis nempè ad eius nominis implorationem miris. Equidem præcipua illum deuotione colo: quare peto magnopere abs te, vt cures diligēter aliquid mihi reliquiarum venerabilis Dei Serui mittere, vt monumentum aliquod eius sanctitatis penes me sit, ac venerari pignora tanti Viri possim. Quod scias, fore mihi gratissimum, ac permagni rem faciam. Viennæ die Martii 25. 1640. Maria.

Nec

Nec defuit piissimæ Principi, priuatęque eius religioni Amphora, ac præcipuam illi Laciniam non sine thecæ elegantia ornando non muneri, sed obsequio misit.

Beneficia ab Olympio, ac mira, dum viueret.

Cap. XX.



ÆC autem, quam modò diximus, famæ celebritas vitæ quidem sanmonia nitebatur. Nunquam enim perennasse diutiùs mortalium opinio visa est, quam non aluit virtus; sine qua decidua, ac breuis ea lux nominis, ac splendor. Verùm enimuerò vt vires eundo acquireret isthæc Viri Dei fama, vtque in omnium sermonibus virtus ipsa esset; collata in commune commodum beneficia, & quas ille patrare in dies res admirandas videbatur, effecere. Scilicet, id natura comparauimus, vt ea maximè celebrentur, quæ aut vtilitas publica, aut quædam sui admirabilitas commendet. Nam qui tandem plausus viris illis contigerit, qui præclaris licet animi partibus exculti, neque præsenti aliquo commodo cæteros mortales demerentur, neque admiratione alliciunt? Planè, quos hę partes destituunt, magni quidem esse aliquando poterunt, raró celebres. Igitur caput ipsum, ac fontem inspicere, vnde ingens Francisci existimatio manauerit; mira nempè, ac beneficia, quæ contulit adhuc superstes, pretium profectò erit. Ex his autem non quidem omnia, sed quæ magis comperta, ex actis potissimùm

Olympij existimatio à beneficijs.

mûm Neapolitanis in medium afferenda; eaque fide, quam rebus nondum suam ad lūcem expensis præstare, par est. Et quidem nonnulla iam, neq; exigua, neq; pauca, prout se se dedit occasio, enarrauimus. Fieri nanque vix potest, quin inter mirabilia continuò versetur stylus, cùm Olympii vita, ac virtus describitur. Quæ supersunt, suis nunc sub signis, ac peculiarem in classem centuriamus.

Agmen ducat collatum oculis beneficiū. Bartholomæum Auricolam Neapolitanū, diximus, soluta malorum dæmonū obsidione, ab Olympio in libertatem assertum. Huic enata filia est, quæ haud quidem edita in lucem dici potuit. Etenim in cunis ipsis oppansus oculis panniculus, adductoq; ceu velo, lucis vsuram eripuit prorsùs omnem. Nihil parentibus tristiùs iis tenebris, quibus amouendis non medicæ artis præsidiis, non sumptibus visi pepercisse. Sed quæ altiùs insederant, quàm vt humana adiumenta dispellerent, lusere curationes, ac studia. Resciuit id Neapoli Dominicus Surrianus, Vici Aequensis Episcopus, ac superiore quodam instinctu parentes monuit, vt si puellam restitui luci vellent, ad Olympium, qui tùm Vici morabatur, illam ducerent, sperarentque, oculorum caliginem à Patre luminum fore Francisci meritis dissipandam. Neque mora: eò ad Dei Seruum contendunt; qui puellulam cuidam Deiparæ imagini primùm obtulit: tùm conceptis ardore quodam precibus, osculum eius oculis libauit: nec post multò aduertit mater nescio quid ceu congelati albuminis ex iisdem filiæ oculis erumpere: oculos verò perlucidos, purosque, ac nulla prorsùs ex parte vitiatos: statimque ita cernere cœpit puella, vt abacta penitùs ea oculorum no-

Oculorū lumen puellę restituit,

ĉte,

ĉte, nunquam deindè aſpectu rerum, ac die caruerit. Eiuſmodi caligo Fabij Maioris oculos obſederat. Fruſtra medicæ artis argumenta fuerant; ac iam pluſculos menſes ijs tenebris conſepultus, nihil ſpei reliquum eſſe, intimè dolebat. In re deplorata iuſſus adire Olympium, qui Deum aliquantiſper precatus, virum bene ſperare iuſſit. Nec mora; tùm quidem quædam affulgere oculis lux viſa; ita vt Olympium ipſum, ceu velo quodam amoto, cerneret. At creſcente mox lumine, ita frui deinceps lucis vſura cœpit, veluti nulla vnquam oculorū orbitas diem excluſiſſet. Id quod teſtatum ipſemet Fabius, ſignatis tabulis, voluit.

Haud carior oculorum cuiq; pupilla, quam matri filius. Burelli Comitem, Montis Leonis Ducis filium, nunc Vallij Marchionem, memorauimus aliàs Serui Dei ſanguinis attactu cōualuiſſe. Is idem adhuc puer grauiſſimo item morbo interceptus, principum medicorum denuntiatione penè conclamatus Neapoli eſt. Mater, quando luſa ex medicinæ arte remedia cerneret; explorare diuinam opem ſtatuit, ac Franciſco Olympio interprete, cum Deo de filij incolumitate agere. Ergo accerſitus Dei Seruus, domum adit. Conſternatam peracerba clade pijſſimam Ducem erigere, ac conſolari. Tum illi: bono ſis animo. Aderit in tempore ea bonitas, cuius in pennis ſanitas. Hæ tuæ fuerint partes: poſtera luce Sanctorum Apoſtolorum templum conuenies: Euchariſticum ibi corpus ſumes: quod reliquum eſt, curabit deindè Numen. Summo mane, vt quam hinc filij amor, hinc vicinioris fati timor ſtimulis acrioribus perurgebat; templum adiit anxia nimiùm Dux. Faciendo ſacro adfuit Franciſcus, Burelli Comes cōualeſcit.

qui

qui illam statim monuit, vt cùm in missæ præfatione ea pronūtiari verba inaudiuisset; Gratias agimus Domino Deo nostro: tùm ipsa dulcissimi filii salutem acceptam Deo referret, gratiasque constanti quadam fiducia conciperet. Haud dubia planè spe visa animari Dux. Ad ea præfationis verba, perinde quasi beneficium iam accepisset, habuit intimè gratias: sumptaque mox Eucharistia, domum reuertit. Inter eundum id ei accidit, quod Centurioni accidisse, diuinis proditur literis. Enimuerò serui occurrerunt ei, qui nuntiauerunt, puerum, excusso, quo tenebatur, veterno, mirè excitatum: cibum petiisse: comedisse strenuè: planè vt omninò incolumis videretur. Gratulata nuntium Mater, rem oculis mox comprobauit. Nam valere filium deprehendit, quem primo eo æui flore decusserat penè mors: instaurauitque ex animo gratiarum actionem; testata ingenuè, debere se Olympij precibus pignus.

Admirationi sanè non impari restituta Cæsari Ferrao, Sanctæ Agathæ Principi salus deseruiit. Coniux huic erat Maria Caracciola, ornatissima fœmina, Thomæ Caraccioli, viri ab armorum laude inter paucos spectati filia, quæ discessura Neapoli vnà cum viro in Calabriam, non priùs Franciscum Olympium inuisere, eiusque se se tutelæ, ac precibus commendare, piaculum duxit. Et Olympius quidem, vtpote optimæ Principi nimio quidem opere addictus, ita illam excepit, vt non modò monitis instrueret, verùm etiam quædam illi munuscula, ac bellaria dederit. Eximiæ cuiusdam beneuolentiæ specimen videri id potuit, sed amuletum fuit, ac præsens propulsandis malis pharmacum. Nam qui vi mentis, ac diuino quodam lumine valebat plurimùm

mũm, aliquid fortaſse erumnę tũm quidem præuidit, cui opportuniſſimum foret munus. Igitur, Gilutij (Oppidum id eſt Calabriæ) Ferraus Princeps ęgrotauit, ac breui deplorata eius ſalus fuit. Potiones quidem binas ſorbuerat, retinebatque: vt iam magis à remedijs laboraret corpus, quod & contumaciſſimus morbus, ac pharmacum ipſum grauabant: ac nihil propiùs erat, quàm ipſe fati dies. Quæ amantiſſimo coniugi illachrimabat, Maria, haud fruſtra data ſibi ab Olympio dulciaria, ſecum ipſa cogitare. Satis compertum, quid interdum efficacię haberent ab ea manu munuſcula: experiri ſe & Serui Dei promerita, & ſuam fidem nunquam opportuniùs poſſe: neque inſolens, medicorum cõſilia ſuppleri eiuſmodi piorum hominum adiumentis. Quare excitata etiam ægrotantis fiducia, neſcio quid mandere ex ijs Franciſci munuſculis iuſſit: ſtatimque vtramque euomere medicinam, & cum ijs morbum ipſum cœpit: ac breui, iugulata penitùs febri, conualuit: putaruntque medici, niſi diuinitùs, pertinax, ac lethale adeò malum curari minimè potuiſſe: ac tenuit in ea Principis domo conſtans opinio, Aeſculapium fuiſſe Olympium. Cuiuſmodi etiam præſidio Catharinæ Toraltæ, nobilis matronæ Neapolitanæ filius conualuit. Laborabat is à prona, ac præcipiti aluo: Cumque fruſtra iam eſſent medicorum argumenta, abire in tabem, certũque exitium delicatior quidem ex ſe puer videbatur. Mater poſt artis experimenta, confugiendum ad ſacram anchoram, nempè ad Frãciſcum ſtatuit. Ille pollicitus preces, quædam interim bellaria dat puero. Minùs opportuna ea quidem morbo: adeò vt addubitaret magnoperè Toralta, ne fluentem

Et Cæſar Ferraus.

aluum vehementiùs irritarent. At enim, vt sunt pueri eiusmodi gulæ illecebrarum auidi, nihil illi priùs, quàm vesci: quo statim, quod morbum faciebat, profluuium sisti visum; rediitque, abscedente ea lue, incolumitas:

Et Catharinæ Toraltæ filius.

Nobilis fœmina accepta non semel ab superstite adhuc Olympio beneficia, denarranda nunc obijcit; nempè Maria Paladina, Campi, quod oppidum est in Salentinis, Marchionissa, Ioanni Henriquez, Hispano, Consilii, quod Collaterale Neapoli vocant, Regenti nupta. Aetate, opibus, ac supremo viri magistratu florebat Maria, cùm grauissimis conflictari morbis cœpit. Sæuire præsertim peracerba dolorum vis: ac ceu claui quidam in vitaliores corporis partes agerentur, supra quàm facilè dici, credique possit, intimè diuexari. Palęstram quotidiè instaurabat, redibatq; certis horis clandestina hæc lues; cuius cùm ignorarent medici causam, admotis subindè remediis aliis ex aliis, nullum interea Marchionissæ leuamentũ. Igitur in tanta morbi pertinacia feliciorem fore medicũ Olympiũ, Henriquez putat; accersitumq; rogat etiam, atque etiam, vt laboranti adeò coniugi, fusis ad Deum precibus, consuleret. Qui modestiæ, humilitatique cum primis cauebat Dei Seruus, id sibi, suisque precationibus inesse potentiæ, pernegauit: tùm insolito quodam oris habitu renidens, vultu supra hominem visus abire veluti in angelum: ac stratus mox humi; vtrunque coniugem recitare vnà secum Eucharisticũ hymnum, ac Marianas laudes iussit. His peractis, crucem, quam Diui Antonini Abbatis appellabat, Marchionissæ elargitus: Age, inquit, quando tot artis adiumenta minimè processere, id reliquum, vt in Deum, ac

Et Maria Paladina,

San-

Sanctissimum Abbatem hunc curas tuas omnes,ac spes conijcias : medicos, medicinas procul habe: neque ludent vota Superi : abiitque his dictis. Nocte tentata nonnihil doloribus Marchionissa : qui mane ita siccessiuere, vt nunquam postea redierint, depulsa penitùs multiplici ea corporis ęrumna. Cumulatumq; mox beneficium. Nam quæ à tot morborum incommodis suæ etiam fæcunditati desperauerat ; non ita post multò concepit : cumque vterū gestaret, id etiam à Dei Viro resciuit; fore nempè, vt virilis sexus sobolem ederet, quod accidit.

Sed neque semel sospitem se ab Olympio agnouit piissima foemina. Id illi in Hispania accidit, quod dignum memoratu ducimus. Euocato ad Catholici Regis aulam Henriquez, proficisci vnà cum viro, inconsulto Francisco noluit. Illum conuenit, ac prolixè rogauit, velificationem, atq; Hispanam eam sedem fortunaret patrocinio. Nulla, scilicet, locorum interualla efficere, quin esse præsens spiritu, ac precibus posset : quæ sesciret tot nominibus ipsi obstrictam, plura velle debere : sperare proindè in remota licet mundi parte opem, operam, preces : quę ille largè pollicitus, non defuturum tantæ fiduciæ, ac votis, disertè affirmauit. Igitur Matriti corripi vehementissima quadam febri illam contigit, vexabatque potissimùm morbi atrocitas caput. Nocte dum quiescit, ecce tibi Theatini nominis Patres omninò quatuor se se illi obiiciunt, eximia quidem specie, ac liquidissima luce circumfusi. Inter hos Beatus Andreas Auellinus, ac ponè Franciscus Olympius, qui intento in decumbentem digito, illam Auellino ostendebat in ea verba : Hæc est illa : ad quam, facto Andreas gradu, accessit, tetigitq; quem

Iterum Paladina conualescit.

X 2 ge-

gestabat manu baculo, disertè pronuncians: Aderit votis tuis Deus. Excitatur interim illa: ac nullus tùm quidem capitis dolor: tùm intra biduum profligata omninò febris, ac restituta pristina incolumitas. Viderat nempè vel longè positus ægritudinem Franciscus, atque implorata B. Andreæ ope, vnà cum ipso, infirmæ adfuit. Quo sanè visus stare promissis, quibus abscedenti Neapoli Marchionissæ obstrinxerat se se, non defuturum, vbi res postulasset. Nempè nulla vnquam terrarum distantia piorum hominum precibus obstiterit, quæ cœlum ipsum momentò petunt.

Faustinæ Caracciolæ salus.

Non semel etiam Faustina Caracciola, nobilis itē matrona beneficum erga se Franciscum in discrimine summo rerum sensit. Et primò quidem conflictata suo fœtu, illum tandem exanimatum effudit, ipsa penè exanimi. Vitiatus quippè sanguis cùm reliquum corpus affecisset; tùm partem ipsam principem, caput nempè, afflatu quodam pestilentissimo petierat; vt perturbata mentis arce, deliraret puerpera: & medici quidem malè ominari, ac non vltra quartum diem victuram, pronunciarunt. In difficili adeò re accersitus Olympius, insigni quadam pietate Cœlitum opem petiit, atque inter preces laboranti capiti manum admouit. Exinde triduum insomnis, quiescere tantisper cœpit: expergefacta, miratur, se planè aliam, affuso vberibus lactè, restitutis corporis opibus, ac triumphato viciniore iam fato: idque ea ipsa die, qua perituram, dixerant medici: qui cùm non id humano ingenio, naturæque vi euenisse, persuasum haberent, adfuisse veluti ex machina Deū, citra dubitationem omnem affirmarunt. Iterum à grauissima quadam

Nō semel

ægri-

ægritudine laborauit Faustina, choleram medici vocant: præceps morbi genus, quem dolores præsertim peracerbi asperant; eòque breui adducta nobilis fœmina, vt iam suprema cogitaret, importato, sumptoque Christi Corporis Viatico. At enim desperata iam salute, fuit, quod violentum adeò malũ sisteret, frangeretque. Allatus namque Olympij pileus, atque ægrotanti admotus, ita spem illicò vitæ fecit, deferuescente dolorum æstu, vt mox omninò conualuerit. Tertiò gratulari sibi sexennis filij salutem eiusdem nempè Serui Dei promeritis Faustinæ contigit. Fuit is Ianuarius Lanarius, egregiæ indolis puer. Hunc enatæ confestim pustulæ vsque adeò operuere, vt corrupto fędè vultu, oculos etiam peruaserint, erepto ipso rerum adspectu. Morbus, ac tenebræ eò mœroris, ac peruicaciæ adduxere puerum, vt vegetandis, confirmandisque naturæ viribus alimenta omninò recusaret. Matris illecebræ, ac voces; tùm exterorum adhortamenta frustra erant. Quare cùm sua sit eiusmodi morbo periodus, teneatque plusculos dies puerorum hæc pestis; nisi illum ali interim contigisset, certum imminere exitium, denunciabant medici. Ergo cùm adesse tùm quidem ipsemet Frãciscus nequiret, Marcellus Surgentius, vir ex nostris grauissimus, Viri Dei pileolum eò secum attulit: vultus, oculos, caput, spe bona fretus, tetigit: iussitque insequentem etiam noctem cum eo puerum quiescere. Mane præter eius morbi ingenium, ac medicorum iudicia compertũ, maturuisse iam pustulas; adductas iam triduum oculorum fenestras ægrotum aperuisse; demum integrè conualuisse. Monstri similis Ioanni Antonio Foliæ, principi Vrbis medico ręs visa: statuitque

secum

secum ipse, vicisse morbum, ac naturæ vim Olympium.

Capuæ pleraque ab Olympij pileo.

Eiusmodi porrò capitis integumenta, quæ Francisci aliquando fuissent, collatis persæpè beneficiis, inclaruisse, exploratum vulgi sermonibus habemus. Capuæ præsertim impertita nō paucis incolumitas. Enimuerò cùm anno huius seculi tertio, & vigesimo eò adiisset Dei Seruus, atq; ad Sanctimoniales, quibus à Iesu nomen, ad aram faceret, Vincentius Casellius, Patricius Capuanus, instinctu quodam eius sibi pileum retinuit. Hic postea ægrotantibus oppidò salutaris fuit: & Casellius ipse ploraque literis consignauit, ex quibus pauca, ac breui delibanda. Lucretia Pera triduùm difficillimo à partu laborauerat, morti iam propior: at allato eo pileo, vbi primùm illum aspexit, leuari nonnihil sensit: eo deindè admoto, geminum euestigiò partum effudit incolumis. Maria Pompilia Casellia, Vincentij soror, & Antonius Gallucius à graui febri laborantes, eiusdem attactu pilei, cùm sæuiret maximè morbus, sanitati restituuntur. Vincentius Sabinus, Canonicus à disuria iam conclamatus, fatigatis frustra medicis, hoc tandem pileo visus penè rediuiuus. Vincentius Rasus grauissimo conflictatus morbo, eò deuenerat, vt extremis sacris procuratus, ac sensibus destitutus, reciprocaret vix animam: sed præsidium ab eo pileo dum petit Beatrix coniux, visi illicò redire moribundo sensus, nec post multò profligatus omninò morbus. Quod ipsum Hectori Cocio accidit, restituta mirè incolumitate. Franciscus Pera discruciari podagra solitus, ingenuè affirmabat, toties facessiuisse dolorem ex ea omnem, quoties pileum admouisset. Elisabetham Mauram, Monia-

nialium á Iesu Antistitam vsque adeò vehementer pulsabat laterum dolor, vt eius pertinaciam nulla medicorum consilia frangerent. Ergo allatus Francisci pileus, illumque admouisse, amouisse malum fuit. Hac ope Antonius Zappa discruciantem magnoperè articularem morbū breui propulsauit. Hac is ipse Vincētius Casellius, penes quem id extat saluberrimi pignoris, fatetur, grauissimis se se morbis semel, ac iterum, & tertiò exemisse. Atque hæc Capuę.

Illud Neapoli, quod Mario Loffredo, ab illustri domo Cardeti Principi accidit, narratque ipsemet, obsignata summa fide syngrapha, quę penes nos est. Inflictum luculentum huic vulnus fuit, disruptaque colli arteria, quoties medicas admoueri manus opor teret, manabat vis sanguinis immodica, quem cùm nulla artis præsidia sisterent, planè conclamata iam salus videri poterat, ac nihil propiùs erat, quàm vt vitam vnà cum sanguine Princeps funderet. Iam, quòd nil reliquū humanæ opis, ac spei esset, petenda diuinitùs remedia fuere: & qui Franciscū Olympium, eiusque in exorando Numine vim nouerat, id in primis curauit, ac petijt Loffredus, vt quoties tractari, obligarique vulnus contigisset, adesset Dei Seruus. Sperare nempè se, fore, vt eius præsentia, ac preces manantem iugiter venam compescerent. Ergo adire statis horis Franciscus: ac deiectus in genua orare ad decumbentis lectum prolixiùs: post preces signabat cruce vulnus: tùm reliquam curationem medicæ arti permittere. Nec multis: ita prohibitus extemplò cruor, vt cùm pergeret ille adesse, ac precari, arteriam omninò exsiccauerit: nec post multò obducta vulneri cicatrix: cōualuitque breui Princeps,

Sistitur vulneris sanguis Loffredo.

ceps,

ceps, qui Olympio beneficium acceptum retulit.

Nec Iosephum Muscettulam, Patritij Ordinis virum in eiusmodi corporis clade fiducia in Francisci merita fefellit. Pertinax vlcus alterum eius crus depascebat. Non remediis ipse, non sumptui parcere: cùm interim, lusis medicorum curis, reuiuiscere in dies malum cerneret, ab ipsis artis adiumentis recrudescens. Inter hæc subiit animo, Olympij pileũ penes se esse; erectusque ingenti quadam fiducia, vlceri applicuit; euanuitque mox lues: relictis vix sui vestigiis, vt adfuisse testaretur.

Sanatur Muscettulæ cruris vlcus.

At enim quando affectum, sanatumq; crus meminimus, non dissimulandum profectò, quod Septimius Robertus, Romanus, Episcopus olim Tricaricensis, grandi vir natu, atque eximiæ religionis, consignatis autographis literis, quæ penes nos extant, de se narrat. Geminum vlcus eius crura corripuerat: fœdum vtrumque, ac palmare, nec sine graui doloris sensu, siue staret, siue incederet. Nihil præsidij, curęque omissum, crescente in dies malo. Ergo Thomas Afflictus ex nostris, eius à confessionibus id illum monet, vt quando eluctarentur humanam opem vlcera, diuinam imploraret. Esse Neapoli Franciscum Olympium, cui à vitæ sanctitate mira inerat impetrandi vis: daret ad illum literas, eiusque sese fidei commendaret. Qui quidem haud segnis, quid pestis corruperat crura: quid præsentis auxilij posceret, ad illum perscripsit: idque intra Epiphanię Domini ferias. Nec multis: tenuit quidem morbus, quoad perlatę ad illum literæ fuere: tùm exeuntibus eiusdem Epiphaniæ festis diebus, qui vespere, dum cubitum iret, plagas nihilo mitiores inspexerat; mane, dum lecto surgit, aduertit, ita

Et Septimio Roberto Episcopo.

abijsse,

abijsse, vt nullum prorsùs vestigium reliquerint; ac si nulla vnquam diuexasset, exulcerassetque crura lues. Admirationi optimo Antistiti fuit inopinata adeò incolumitas; eamque Francisci patrocinio, ac prece mirè sibi impertitam, persuasum habuit.

Neque prætereũdus hic sacerdos ex nostris, nempè Marcus de Angelis, quem aliàs meminimus. Pleraque is iuratus testis apud Neapolitanum Iudicem de Francisci virtutibus persanctè affirmauit. Inter cætera id etiam de se narrat. Praui omninò moris vlcus crus occupauerat: & quod morbo recrudescente, nulla affulgeret à medicæ artis præsidijs spes; conuenire Olympium statuit, eiusque se precibus, salutemq; suam permittere. Ergo Vicum Aequensem, vbi is tùm morabatur, petit: vlcus illi aperit: operam, ac preces poscit. Ille in genua statim procumbens, rem priùs transigere cum Deo voluit: tùm non alio quidem opobalsamo, quàm crucis signo vsus, spem certæ salutis iniecit: qua ille plenus, Neapolim reuertitur: nec post multò euanuit purulentum malum: agnouitque Marcus in vegeto mox crure salutarem Francisci manum.

Et Marco de Angelis.

Refractaria istiusmodi vlcera, quæ in carcinoma facilè degenerant, grassanturque in apertam corporis perniciem, cùm sæpe Olympii preces mirè persanauerint, perstringenda hic etiam sunt; facietque iis initium vir ex nostris, quem aliàs appellauimus, oppidò catus, ac frugi: nempè Dominicus Dicastiglius. Huic mentum fistula deformauerat planè immedicabilis. Vbi frustra fuerant medicorum adiumenta, difficillimum ignis experimentum reliquum erat: cùm interim omnes affirmarent, id peracris curationis tentari sine aperto vitæ discrimine mini-

Dicastigli mẽtum a fistula curatur.

Y mè

mè posse, Ergo ad Olympiũ Dicastiglius, quem sciret medicinę articulos nosse omnes vno dũtaxat precũ vsu. Ille cõplexus ex animo virum, bono esse animo iussit: tùm votiuã ei tabulã imperat; in ea sanctissimã Triadem, magnam Dei Matrẽ, Diuũ Dominicum, denique Tutelarem angelum pingendum curaret. Id vbi ille perfecit, breui depulsa vultu, ac mento labes. Nempè ita certus beneficij Olympius fuit, vt tabellam impetratæ iam salutis testem, antequàm malum facesseret, dedicatam voluerit.

Altabellæ, et Planæ sanatur facies

Eandem hanc conspicuam corporis partem, nempè faciem id genus lues labefactauerat Francisco Altabellæ, & Ioannæ Planæ: & illi quidem insanabilis serpebat per ora cancer: huic verò genas apostema corruperat longè pestilentissimum. Interminari ferrum vtrique, ac ignem medici. At longè mitior Olympius. Efformato siquidem in affectis locis crucis signo, vtrumque perquàm facilè, ac mirè persanauit: quique priùs horrorem quendam conspicuo eo morbo intuentibus incutiebant; restituto postmodum vultu, ac pristina oris specie, admirationem peperere planè non mediocrem.

Et fœminę manus ab apostemate.

Non absimili curata præsidio est piæ cuiusdã fœminæ manus, cuius nomen excidit, Ioannis Dominici Brancacij coniugis. Carbũculus in atrox quoddam apostema degenerauerat, quod eò tandem contumaciæ peruenit, vt alia quidem ope, quàm igne profligandum, negarent medici. Nihil fœminæ horribilius, quàm ea ignis denuntiatio: Quare petere benignius è cælo remedium, statuit: adiitq; ad Franciscum spei plena. Precari, obtestari. Ille commiseratus, manum manu signat. Nec mora: quæ præfractum fouebat morbum sanies, disrupta cute,

cute, confestim erupit; ingentique cum omnium admiratione visa eadem manus modò corrupta, modò incolumis. Cuiusmodi beneficium ab eodem cęli medico sensit iuuenis quidam ornatissimus, è gente Pallauicina Genuensis: cuius manum à simili lue planè immedicabilem, vbi Olympius linxit, obligauitque, restituta sanitati est.

Iam nullum violentius, ac capitalius morbi genus, quàm gutturis lues. Grassata diutiùs Neapoli, ita summos, infimos visa demessuisse, vt quos semel mali vis corripuit; pauci euaserint. Ab hac ærumna Cæcilia Palmeria, spectati moris fœmina decubuit; eo quidem morbi impetu, vt desperatum de eius vita statim fuerit. Accersitus Franciscus, esse, inquit, cęlo, qui eiusmodi pestes cęlesti pharmaco abigeret: petendam ab eo opem. Igitur, conceptis præsenti fiducia precibus, pro medica potione liquorem adhibet, qui mirè è Myrensis Episcopi Nicolai ossibus manat: quem quidem dum ægrotanti propinat, visus vnà simul salutem instillasse. Deferbuit namque extemplo mali vis, correctisque faucibus, ereptam se ab ipsis mortis faucibus agnouit Cæcilia; atque acceptum beneficium retulit, vt Nicolao, ita & Olympio, qui eiusmodi Diuorum adiumentis, ac lipsanis cauere humilitati suæ solitus erat, ac collato munere, manum subducebat; vt beneficio fruerentur, beneficum non agnoscerent: planè præter cæterorum mortalium morem, qui cùm beneficium impendunt, aut tuba canunt ante se; aut si fugiant, se cupiunt ante videri.

A gutturis peste sanatur Palmeria

Porrò Cæcilia hæc Ioãnis Baptistæ Apicellæ, Regijs Neapoli à Consilijs coniux fuit, de quo est, quod hic etiam adnotemus. Quod Christi Domini, atque

Apicellæ capitis dolor sistitur.

innocentiæ symbolum agnus; nimiùm, quantum Francisco Olympio mansuetissimum hoc animal cordi esset. Quoties cerneret, adblandiri, complecti, exosculari. Quocirca fuit semel, qui ad delicium quoddam spiritus agnum illi miserit. Is verò, impetrato Maiorum nutu, quòd addictissimus Apicellæ esset, illi ad beneuolentiæ specimen dono misit. Et Apicella quidem tanti Viri munus, vt gratanter accepit, ita peculiari quodam studio domi retinebat, habebatque in pretio. Illud verò opportunum, ac sanè mirum. Vbi creuisset agno lana, tondebat: eaque puluinar infarciebat: quo quidem puluinari cùm tentari aliquádo dolore capitis contingeret, vtebatur, nunquam sine fructu. Leuari siquidem eo adhibito, atque interdum omninò facessere capitis molestiam, sentiebat: ceu disceret à mitissimi agni lana dolor mitescere: aut certè id impetrauerat Franciscus, vt innocentiæ typus nocumentum capitis amoueret.

Proueçzalis conualescit.

Consiliario addimus Consiliarium, sed à morbo grauiùs laborantem. Fuit is Andreas Prouenzalis, vir in Neapolitanis subsellijs non vltimus. Correptus is graui febri própiùs à vitę periculo aberat. Molestior verò febri quædam morbi appédix erat, vehementissimus nempè oculorum dolor. Dum de remedio consulitur, aderantque præcipui nominis medici, qui collatis vnà votis rem expenderent, vocatus Olympius: rogatusque à Prouenzali suam sententiam; vbi aliquantisper demissus in genua orauit: Valeant, inquit, medici, ac pharmaca: breui Diuæ Virginis Constantinopolitanæ ope conualesces. Postera luce respondit prædictioni euentus. Debellatum siquidem malum est, depulsa febri, atq;

ocu-

oculis suæ incolumitati, serenitatique restitutis: habuitque vir Senatorius magnę Dei Matri gratias, quæ beneficium, Francisco nimirum interprete, ac patrocinante contulerat.

Eademque Deipara ad eiusdem Serui Dei preces propitia, ac volente, curatus sexennis puer, Marcelli Philamarini, Viri nobilis, & Lauræ Bariliæ, æquè nobilis matronæ filius. Intra quatuor non ampliùs horas excessurum illum è viuis, pronuntiauerant seuerè medici: præsertim, quòd fatiscente in tenera adeò ætate vi naturæ, quicquid medicæ potionis, aut cibi ingererent, auersaretur. Non sine Francisci præsentia, ac ope calamitas hæc fuit. Accersitus namque, dum in eo toti essent parentes, vt nescio quid peregrini liquoris ad alimentum sorberet puer, ac frustra in os impingerent: negotium in se ipse suscepit, conceptisque precibus, craterem illi propinauit, eo quidem successu, vt qui modò, stomacho obluctante, omninò respuerat, totum omninò hauserit ab ea manu. Domum reuersus, interpellare Deiparam, atque ad eius effigiem patrocinari quàm efficacissimè causæ: tùm proindè quasi impetrasset, ac grates redderet, visus terram exosculari: Nec multis: ita conualescere puer cœpit, vt insequenti mox die abscesserit omninò febris. Et mater quidem beneficiũ, quod ab Olympij precibus certò sibi pollicebatur, occupauit beneficentia. Nàm pictam acu vestem non exigui quidem pretij, ornandæ Deiparæ sine labe conceptæ aræ dono misit. Et sexennis puer

Iam geminum beneficium, alterum Lauræ Gattæ, matronę Neapolitanæ, alterum eius famulæ collatum, qua fide ipsamet Laura testata ritè est, eadem nos literis consignamus. Sanguinis profluuio labo- Et Laura Gattai

rabat

rabat nobilis fœmina, medicorum curis diù irritis: Sanctorum Apostolorum templum adit: vbi tùm forte ad aram faciebat Olympius: & quòd dispertire mox adeūtibus viuificū panem vidit, eadem erecta fiducia, qua illa Euangelij mulier, eodem laborans morbo: Si Dei Sacerdotem, inquit, aut eius saltem indumenti fimbriam tetigero, salua ero. Ergo ceu accumbere & ipsa ad sacrum epulum vellet, ita se cęteris miscuit, vt illum dissimulanter tetigerit. Nec mora: presso mirè sanguine, profligata ea corporis intemperies: reperitque Laura in Francisci attactu præsidium, quod diù frustra à medicorum studijs, atque officinis quæsiuerat. Porrò quæ nunc sibi, famulæ deindè suæ gratulata incolumitatē est. Dum fertur hæc impetu quodam, ad cubilis stipitem per imprudentiam ita impegit, vt caput non leui quidē vulnere, ac manante largiùs sanguine, illiserit. Tristari vehementer Laura: sed interim euocata ad Sāctorum Apostolorū ędem est, *vbi publicæ tùm* quidem ad sacram Eucharistiam preces celebrabantur. Hic illa quadam in famulam charitate, ac summa fide precari enixè diuinum Numen, vt pro Francisci Olympij meritis sanam eam vellet. Igitur post solemnes eas preces domum reuersa: quam grandi à vulnere cruentam, ac consternatam reliquerat, lęto illam vultu, ac prorsùs incolumē depręhendit. Nusquam vulnus, aut vestigia vulneris. Curationem nempè festinauerant implorata Viri Dei promerita, cicatrice etiam obliterata, ne quid ærumnæ reliquum esset.

Et eius famula.

Nihil est, quod excruciet acriùs fœminas, quàm difficiles interdum partus. Æquè præsens dolor, ac futuri metus diuexat: acciditque non rarò, vt paren-

rentet matri præmaturis lachrymis puer. Adfuit difficillimis eiusmodi puerperijs non semel Franciscus, vt faustum nascentibus sydus, ita certum periclitātibus puerperis præsidium. Rei documentum præcipua matrona hic dabit: nempè Syluia Caracciola, Circelli Marchionissa, quæ maturo iam fœtu, ita conflictari peracerbis, ac diuturnis doloribus cœpit, vt iam penè viderentur delicatioris fœminę vires prolixæ, duræque adeò palæstræ minimè suffecturę. Nihil antiquius Laodomiæ Ruffę, parientis matri, quàm vt eò accederet Olympius, maturaretq; precibus partum. Accersitus ille, adit: post preces, tangeret puerperam, rogat Ruffa: sed dum is negat, facto illa impetu, acceptamque vi dexteram, filiæ laboranti admouet. Neque mora: effusus illicò partus, incolumi matre, quæ æquè sibi, ac filio vitam gratulata est à Francisci patrocinio.

A partu liberatur Circelli Marchionissa.

Vicum Aequensem nunc pergimus, vbi pleraque circumferūtur collata ab eo beneficia, quòd morari ibi, vti monuimus, solitus esset. Ex his diximus sparsim aliqua. Illud nunc non dissimulandum. Egressus semel domo Dei seruus, fœminam offendit, fusè lacrymantem. Interrogata, quid sibi incommodi accidisset? respondit, quicquid pecuniæ alendis ea die filijs, haberet, intereundum amisisse: dolere proindè inopiam, sortemque filiorum. Tùm Franciscus humi procumbit, orat tantisper, assurgit: ac primo statim intuitu, quam alibi perdiderat pecuniam mulier, id loci reperit: absterſitque illi lacrymas inopinato rei euentu, ac restituto suo ære.

Reperitur amissa pecunia.

At maius quid profectò est, aurū adauxisse, quàm inuenisse deperditum. Fecit & hoc Olympius, reparata arcana vi quadam pecunię sūma, dum erogatur.

Et multiplicatur. gatur. Meminimus aliàs Ioannem Simonem Pulucrinum, Viro Dei addictissimum, atque ob curatam multiplicem morborum luem summè obnoxium. Deposuerat is apud coniugem, cui nomen Camilla Domini Vrsonis nummos aureos omninò quinquaginta, quos attentè de more numerauerat. Ex his ornandę Marianæ cuidam imagini aureos quinque erogari Francisco Olympio iussit: qui quidem Puluerini beneficentiæ, vt eo, quo posset, studio responderet, id statim precatus à Deo est, vt cresceret reliqua pecunia, & quod aurum decerpserat pietas, restitueret occultè Numen. Neque irritæ eæ preces fuere. Enimuerò ab eodem ipso aceruo etsi & alios quindenos aureos non ita post multò sumpsissent, numerata ea pecunia, nihilo imminutam deprehendunt, constante nimirum summa aureorum quinquaginta. Hęc Surrenti, vbi muliplicata piacularia quædam grana haud minori quidem admirationi fuere. Francisco moris erat, pios

Multiplicátur grana piacularia, eiusmodi globulos, à Beata Ioanna à Cruce nuncupatos, distribuere: idque non sine prouentu pietatis. Per eam namque occasionem, vt de Dei offensa intimè dolerent, qui id pii muneris acciperent, curabat. Nunquam proindè non iis instructus videbatur, ferebatque exigua in pyxide. Accidit porrò, vt inuisurus nobilem quandam fœminam, lecto decũbentem, in ipso cœnobij vestibulo aduerterit, paucos admodùm, ac circiter octo reliquos esse in pyxide, certè non iis suffecturos, quos eundo, redeundo, atque in ipsa ægrotantis domo offendisset: iamque redire in cellam, vt suppleret numerum, cogitabat. At substitit: cælumque tantisper intuitus, veluti quid tacitè oraret: pergimus, inquit; nam Do-

minus

minus prouidebit. Itaque dum iret, accurrentibus ad illum, quem Virum Sanctum appellabant, plerisque; singulos singulis donauit piacularibus granis. Eadem mox liberalitas, dum ægram inuiseret, affecit non sanè paucos, ac satis etiam multos, dum iter remetitur, munifica semper, pronaque omnibus pyxide: demũ in ipso domus nostræ aditu cùm et alios comperisset, globulis minimè pepercit; ac tùm quidem Thomas Muscettula, Sacerdos ex nostris, qui illi comes, coniectis perquàm attentè in eam pyxidem oculis, illam non modò non exhaustam, sed adhuc semiplenam aduertit. Planè visa res illi monstro similis, quòd paucissima modò grana in tantam mox segetem succreuissent. Viderat nempè ipsemet anteà, ac penè numerauerat: vt paulò supra octona censeri ea possent: tùm vbi largè, ac subducta ratione, circiter centum distribuisset, multò plura superesse, fidem penè suis oculis abrogabat. Fontem Mandurium ferunt, haustu non minui: admirabilior longè Olympij pyxis, quæ haustu crescit.

Nec sanè minor ab eiusmodi multiplicatione stupor perculit Gabrielem Grisanum, laicum fratrem ex nostris, qui iuratus, obsignatisque literis id sibi anno vertentis seculi tertio, & vigesimo accidisse; affirmauit. Cum morabatur in Aequensi domo Olympius, panem aliquando à Gabriele petijt, quem infirmæ, piæque fœminæ mitteret. Illo, cui cõmunis cœnatio curæ erat: se quidem promptum, inquit, sed sciret, haud esse tantùm domi panis, qui Patribus sufficeret; apertoque armario, vbi seruari consueuerat, conciliauit dictis fidem. Instare nihilominùs Franciscus, vt impertiret; fore nimirum, vt à munifica perindè, ac mirifica charitatis manu ex-

Et panis.

cresceret panis. Ergo dedit; clausitque, quod diximus, armarium: quod deinde vespere, instructurus de more cœnaculum, dum aperit, defixus admiratione est. Enimuerò supra quos paulò ante reliquerat panes, septemdecim alios reperit: multiplicata, videlicet, annona, vti Olympius adpromiserat, ac fusis ad Deum precibus proculdubio impetrauerat. Neque id satis. Interrogatus namque mox ab eo Grisanus, an panis sufficisset, cùm abundè fuisse, ille respondisset; Age, inquit Franciscus, nec frumētum deficiet. Et verò, constans domi fuit omnium persuasio, eo anno solitam frumenti mensuram ad plusculos menses excreuisse.

Addimus & illud, quod multorum oculis, ac fide compertum scimus. Animandis ad disciplinæ studium tyronibus, inuisere illos identidem, hortarique, ac quibusdam etiam donariolis afficere, Frāciscus consueuerat. Igitur in Sanctorum Apostolorum domo Tyrociniū dum regeret Theodorus Albertinus, quem aliàs nominauimus, adiit aliquando eam pubem Dei Seruus, iisque bellaria quædam attulit; tùm ad puritatis munimentum quosdam D. Thomæ Aquinatis cinctus, quos Collegij à Sapientia moniales affabrè quidem, atque eleganter confecerant. Tyrones tùm erant non amplius quinque; totidemque attulerat ille cingula; quæ item singillatim, atque adeò bellè illigata, vt necti, confundique inuicem minùs possent. Vt vidit Albertinus, suū visus optasse D. Thomæ cingulū: at Olympius excusare numerum, ac non sine sensu aliquo affirmare, ea solummodò quinque sibi missa, vt distribueret, singula nempè singulis nouitijs. Mira sanè dictu res: dum ipsemet sua manu adolescentulis

Et cinctus.

lis cinctum cuique suum distribuit, adaucto ex inopinato numero, aduertit, esse sex. Mirari effusè Albertinus, ac pubes: qui persuasum habuere, non sine vi Numinis cingula excreuisse: præsertim quòd scirent, id moris esse Olympio, vt pro nouitiorum dumtaxat numero munuscula afferret. Sed augeri ab eius manu res, non insolens. Nam & dulciarios panes Herculani excreuisse ad ægrotantium leuamentum: & aquam ab eo consecratam nunquam decreuisse, memorauimus supra: & sunt, qui affirment, salutarem etiam Diui Nicolai Myrensis Episcopi liquorem vel ipso haustu adauctum. Quod nobis non adeò compertum.

Pergimus admirandas res alias recensere. Pedes aliquando Neapoli ibat Horatius Muscettula, postea Triuici Episcopus, cùm ruere improuisus, ac largus quidem imber cœpit. Ire nihilominùs sub tectorum proiecturis, vt vitaret pro modo pluuiam. Interim ita præire Olympium aduertit, vt mediis licet imbribus ambularet, non madesceret. Falli aspectum putat; gradumque, vt propiùs inspiceret, promouet. Et verò neque illum, neque socium perfundi pluuia, non mediocri sane cum admiratione cognoscit. Quæ quidem admiratio mox cumulata. Nam dum ipse vnà simul incedit, neq; fœdari imbre contigit: gratulatusque magnoperè est, se quoque ab eius consuetudine, ac promeritis supra Cæli iniuriam fuisse. Hęc à Thoma Muscettula ex nostris, Horatij ex fratre nepote, qui quo tempore de piissimi Viri virtutibus acta Neapoli conficerentur; cùm siccis illum vestigijs, ac vestibus, cadente imbre, inambulasse: tùm auctos, quos diximus, piaculares globulos, testatus ritè est. Ab eiusmodi verò pluuia

Ai imbre non madescit Olympius.

uia intactum, immunemque illum fuisse, non semel accidit. Et Adrianus quidem Guarinus, frater ex nostris laici ordinis iureiurando affirmauit, se quidem aliquando vnà cum Olympio Vico Neapolim traiecisse: cadente verò à subita quadam procella ingenti pluuia, nautas quidem, vectoresque alios, quos eadem cymba exceperat, largè immaduisse; ipsum verò serena quadam vsum inter eos imbres tempestate, nec vel leuiter asperlum; quod testati & ii sunt, qui aderant, Viri sanctimoniam, cui nimbi parcerent, effusè deprędicantes. Eiusmodi admiratio Andream Gizzium, fratrem item laicum cepit: cum iterũ Neapolim Vico transmissurus Olympius, è Mariana domo nostra mare peteret, vt cymbam conscenderet. Pluuium tùm erat cęlum, cumque nescio quid ille precum eundo recitaret, atque apertum earum librum manu ferret, aduertit Gizzius, qui illi socius, se quidem nonnihil perfusos, breuiarium verò nulla ex parte madefactum.

At enim si quæ contulit mortalibus beneficia, patrauitque mira Franciscus, describenda fusè, ac singula essent, nullus profectò exhaurire stylus posset. Raptim ne dissimulasse omninò videar, alia nonnulla, quæ signatis etiam testibus constant, extantque in Neapolitano Sanctorum Apostolorum tabulario syngraphæ, expediam. Thomas Carafa, vir grauissimus, Frācisci tactu peracerbis doloribus defungitur. Marinus Cortesius, Rotundi Marchio à lethali morbo penè depositus, Serui Dei attactu item, ac precibus, breui suæ incolumitati restituitur. Ioannis Petri Carafæ ex nostris dolor longè vehementissimus dum malas, vultumque discruciat; simul tangit, signatque cruce Olympius,

Pleraq; ab Olympio beneficia

pius,

pius, ſimul faceſſit moleſtia. Rinaldus Corteſius Surrentinus aqua intercuti annos omninò quatuor laborauerat: cruce ab Olympio ſignatus, mirè perſanatur. Lucretia Scifola Surrentina item fœmina bis ægrotat, bis conualeſcit, admota ſacra quadam effigie, quam à Franciſco acceperat; eademque mox imagine ingruentem horridè tempeſtatem ſerenat. Didacum Audiſium, captum membris, ſignata item cruce; ſuæ incolumitati reſtituit. Ferdinandi Pecorarii, & Iuliæ Campanilis filius periculosè decumbit: Serui Dei manu tangi, curari fuit. Franciſcus Florillus moleſtiſſimo laterum dolore diuexari ſolitus erat; lintheum, quo vti Franciſcus conſueuerat, dum admouet, ita deſæuit, abiitque mox dolor, vt nunquam poſtliminiò redierit. Didaci Spagnoli Stabienſis immedicabilis morbus veneficij ſuſpicionem fecerat: ſed dum Frãciſci ſe ſe tutelæ ægrotus permittit, & is ad aram Aequenſis Virginis precesfundit; breui diuturnum malum euanuit.

Atque hæc quidem ad corporis commoda, ac ſalutem ſpectant. Quæ verò momenta animi tangunt, innumera penè ſunt, ac longè admirabiliora. Alloquio, complexu, precibus mirum, quos ille animorum motus fecerit, quæ ſtudia pietatis excitauerit, quæ tentamenta dæmonum fregerit, quas vitiorum peſtes abegerit. Illuſtratę repentè perditorum hominum mentes: inueterati, prauique mores cõmutati: inſpectum curatumque arcanum pectus: luſæ malorum dęmonum inſidiæ: compoſitæ cogitationum turbæ: diſpulſæ mentis caligines, ſcrupuli, metus, dubia. Exempla hic pauca, ac paucis damus: nam ſuo quæque narrantur loco. Franciſcus Curantur animi morbi.

Val-

Valcarcer, internis, iisdemque vehementissimis quati, pulsarique machinis cæpit, certè mali dæmonis malis artibus: eoque se tandem perurgeri impetu sensit, vt nil propiùs esset, quā dare hostibus manus. Ergo Olympium adit, alloquitur, animi luctam aperit; visique Viri Dei verbis momentò componi fluctus, atque ab eo æstu suę restitui tranquillitati animus. Id quod Valcarcer, qui palæstram illam circumferebat, fieri nisi diuinitùs posse, negauit.

Valcarceris interni motus componuntur.

Aliam hic à scrupulis longè molestissimis perturbationem annectimus, quam is idem facili negotio dispulit. Alexander Marinus Genuensis ex nostris ipso æui flore dum Neapoli Paulina in domo studijs operam nauat, vellicari supra modum eiusmodi stimulis cœpit, Non consilijs, non monitis locus erat; anxius, inquies æstuare, reciprocantibus cogitationum fluctibus: quosquidem vt compesceret id tandem mentis cepit: anteactam, videlicet, vitam accuratè recognoscere, ac generali confessione expiare: ita dispelli dubia, atque auelli peracres eas cogitationes facilè posse, sibi persuasit. At sua illum fefellit opinio. Enimuerò dum in id conscientię examen totus incumbit, ac magna, parua anquirit, mouetque; visę irritari vehementiùs curæ, ac facto agmine, insilire, adoriri, quatere maiore impetu animū; planè vt in tanta rerum angustia, ac ceu furente nimiùm pelago iactatus, desperaret suæ tranquillitati Marinus. Aderat tùm fortè in Paulina domo Franciscus; & quem ille nullis non incōmodis propulsandis idoneum nouerat; adire, opemque poscere, apud animum suum statuit. Orantem in odèo reperit, nullibi quidem opportuniùs: demissusque

Sedantur Alexādri Marini scrupuli.

in genua, quid laniena gestaret pectore, exponit: adesset, prensaret pro se Numen. Ille interpellantis caput vtraq; manu complexus, pectori affectu quodam adpressit; tùm familiari blandiloquentia sola-ri; iussumque bono animo esse, dimittit. Nec plu-ra: visa extemplò Marino affundi serenitas, faustitas, lux animo; nulla ampliùs menti caligo, nulli pe-ctori morsus: agnouitque à Francisci attactu, complexuque beneficium, ac nullis æquandam opibus interioris hominis pacem.

Claudat hoc agmen vir, ad bonam mentem, frugemq; conuersus. Felicianæ Caracciolæ æquè religiosæ, ac nobilis Matronæ fide constat, quod nunc imus narratum: Viri verò nomen, ne eius laboret fama, non prodimus. Prauo quodam vsu, ac indole coelum is petere impurissimo ore solitus erat. Diuorum nulli parcebat, ac Deum ipsum maledictis interdum incessebat: planè vt horrori esset diserta sacrilegè lingua. Ipsa in primis Feliciana Caracciola eiusmodi in Cęlites contumelias nimiùm, quo aurium, atque animi vulnere exciperet. Inire proindè rationem, qua viri confidentiam, atque impietatem emendaret; idque pro religione in Olympium opportunum putauit. Eius mensæ reliquias nescio quas, penes se habebat; has vir ille sacrilegus si comederet, fore sibi persuasit, vt ab eo scelere temperaret. Ergo vescitur: statimque corruptæ adeò linguæ, atque ad iniuriam Cælitum pronæ iniecta religio, ac frænum; ac cunctis, qui nouerant, mirantibus, gratulante in primis Caracciola, nunquam deindè incestare blasphemijs aerem, ac cælum auditus. Sanè, quæ hactenùs numerauimus Olympij beneficia, non exigua ea quidem fuere: hoc maius, diffi-

Corrigitur praui hominis lingua.

cilli.

cillimum, ac longè pestilentissimum linguæ morbum analectis curasse.

Supremò ægrotat Olympius, ac piè moritur.

Cap. XXI.



RADVCTAM per summam innocentiam, atque inter eximiæ religionis actus vitam, ad profundam iam senectutem perduxerat Franciscus; haustusque laboribus, ac œuo, conclamare iam vasa videbatur. Admoueri se supremis, & nouerat ipse probè, & magnoperè gratulabatur. Vixisse, exulasse diutiùs dicebat: optarè iam patriam, vt in summa ea beatitatis luce frueretur, quem in hac rerum caligine adamauerat. Itaque pręstolari anxiùs exitum: occupare peracri desiderio, atque insolito quodam ardore mentis cœlum. Inuolutus licet hac mortalitatis lacinia, vsque adeò affixus Deo erat, vt adesse iam Diuorũ Concilio videri posset, Angelo, quam homini propior. Humana omnia plùs solito fastidire; cœlestium amor intendi: loqui de diuinis rebus perindè erat, atque abire illum in lachrymas, ac internis, æternisque deliciis diffluere. Audiit tandem Beati Senis vota Numen. Die Ianuarij mensis septima supra vigesimam anni vertentis seculi noni, & trigesimi, quam Diuus Ioannes Chrisostomus festa sui memoria nobilitat, consecratque, supremò litauit in superiore domus sacello, vbi peruetus eiusdem Chrisostomi imago colitur, in quam ille

Cupit dissoluir,

ille præcipuo studio ferebatur. Nocte insequente tentari profluuio sãguinis cœpit; quod excepit mox febris: atque inde ominari vltima medici, impare nimirum ijs morbis natura, ac senio. Et ipse quidem Franciscus non modò ab ægritudine, sed superiore etiam nuntio festinare se ad exitum, ac breui excessurum, cognouit. Enimuerò loqui de obitu suo disertè cœpit, ac quendam ex Patribus, cellulam ingressum, propioris iam fati monuisse, aiebat: quem quidem sub ea Theatini hominis specie, ac habitu fuisse è cęlestium numero aliquem, constans tenuit inter nostros opinio. Nullus siquidem ex ea domus familia, qui rem nuntiasset, repertus: neque profectò aliquis sub id mali initium certò affirmauerit, atque adeò indubitanter id decumbenti renunciauerit: quòd quamuis suspicionem, ac metum faceret non planè mediocrem; nõ dum tamen exploratum omninò erat, ac mussabant adhuc medici. Hoc autem cœli nuntio certus iam ille sui obitus: vt appetentem eam horam quodammodò vrgeret, atque alas sibi adderet velut igneas, suprema sacra statim efflagitare: tùm Præpositum (is erat Vincentius Caracciolus, compertæ vir prudentiæ, cuius se nutui, fideique commiserat) id impensè rogauit; vt in extrema ea vitæ linea propiore quodam studio adesset. Et quòd tùm quidem diuexari familiari illum podagra contigit, fusis ipse ad Deum precibus, eius illicò incolumitatem ita impetrauit, vt valentem postea, præsentemque ad extremum vsque spiritum semper habuerit.

Aegrotat

Monetur diuinitùs fati.

Impetrat Præposito sanitatem.

Porrò nostri homines clàm haberi morbum, optimum factu putarunt; vt qui mortalium concursationem, æstumque præuiderent: vti postea accidit,

ipsis frustra connitentibus,ne perrumperet septa pietas, inundaretq; ardens nimiùm multitudo. Quod verò ad suprema sacrorum adiumenta attinet, non adeò incitatissimis ægri votis parendum existimarunt, quin ipsos ægritudinis gradus, ac medicorum nutus explorarent. Igitur qui sub extremum Ianuarium decubuit,non ante diem Februarij mensis vndecimam premi vehementiore vi morbi, ac destitui omninò viribus cœpit: ac tùm refici Christi Corporis viatico iussere medici. Nuntium incredibili gestientis animi sensu, ac frontis hilaritate excepit in ea verba: Hæc dies, quam fecit Dominus exultemus, & lętemur in ea. Diuinum deindè munus vt ieiunus libaret, afferri post matutinas preces voluit: ac tùm quidem Viri affectus, pietatis imitamenta, documenta charitatis, humilitatem, fidem,ipsasq; animi delicias nullus explicauerit. Veniam primùm, si quem verbo, gestu, vitæque suæ desidia læsisset, demissè petere: quod cùm non adeò cumulatè, vt vellet, obire sibi videretur, nec responderet omninò virium imbecillitas, subsidiariam Præpositi opem implorauit: qui quidem, intercepta à lacrymis facultate dicendi,nec supplere vices potuit. Affectum se deindè innumeris beneficijs profiteri, atque insigni grati animi significatione habere singulis gratias. Ad hæc, recitare fidei symbolum,consalutare Cœli Reginam, hymnos, psalmos, qui diuinæ charitatis flammam euentilarent, non tàm ore, quàm vehementiore spiritu proferre: Iesu,& Mariæ nomina frequentissimè concipere. Ad extremum,quod illi familiarissimum, instaurare vota tanto quidem cum ardore animi, ceu tùm primùm eo se Sacramento authoraret, emicabatque vultu hilaritas; atque

Christi Corpore reficitur.

atque intimi cordis deuotio: quæ sanè visa magnoperè inardescere, cùm facto gradu, Præpositus monuit, adesse Christi Domini Corpus, certissimum nempè animæ præsidium ad iter, ad luctam, ad trãsitum. Hic ille studio quodam incredibili abiici, venerari, incendi, præfari in ea iterum verba: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Postremò cùm omnigenæ virtutis exempla ediderit, tùm excellentem quendam fidei actum deprõpsit, intentisque in diuinam Eucharistiam oculis, ea pronuntiauit: Beati oculi, qui non viderunt, & crediderunt. Refectus Angelorum pane, ac plenus Deo, visus augeri mirificè viribus: cœpitque vegeta quadam dictione, ac longè vigorosiùs dicere. Nunc diuina erga se beneficia inculcare: nunc se deterrimum mortalium, ac longè despicatissimum appellare: modò religiosas Familias, suam præsertim Deo commendare: ad æternam mox felicitatem ardore quodam sermonis non tàm recurrere, quàm abripi: multiplex denique versare diuinarum rerum argumentum; ibatque huc, illuc, vbi erat impetus spiritus. Mirari interim omnes adeò viuidam in semimortuo facundiam, eamque obortis lacrymis excipere. Abscedente verò Sacra Eucharistia, is illi animi sensus fuit, veluti diuelli medio è pectore cor ipsum sentiret; delinqui potissimùm animo videbatur, quòd prosequi & ipse Christi Corpus nequiret, cui spiritu, ardoreque mentis intimè affixus. Iam, quòd afficerentur mirificè ea Viri pietate, dictione, aspectuq; oris Patres, trahi vi quadam postliminiò ad eius cellulam visi: neque exiguum id pretium operæ putabant, plenã igne, ac Deo verba haurire, instrui ad virtutem monitis, ac mori di-

Quo spiritu.

scere. Adfuit & Iuniorum classis, qui quòd aperto, vti decebat capite, lecto adstarent: scio, inquit ille, haud mihi id honoris impendi: nam supra meritum hæc: attamen eiusmodi reuerentia, habituque modestiæ hic vos perstare, par est; vbi splēdidissimo stipatus cœlestium spirituum satellitio adfuit modò cœli Dominus. Et verò à diuini Numinis præsentia videre nunc mihi videor in hac cellula nescio quid insolitæ dignitatis, ac lucis ceu vestigium quoddam diuinitatis luculenter ostendat, fuisse hic luminum Patrem. Hæc ille adolescentibus:

Iam verò, etsi, vti significauimus, euulgari morbum, ac viciniorem iam exitū, noluissent nostri: attamen sparsus mox rumor, exceptus apud omnes ordines non sine animorum sensu, motuque fuit. Nullus planè visus, quem non illicò pulsauerit desiderium illum inuisendi, consalutandi, eiusque se precibus coram commendandi. Ipse in primis Cardinalis Boncompagnus, Archiepiscopus Neapolitanus, cui satis comperta Viri sanctimonia, ac virtus, extemplò misit, qui inuiseret, eique à suo nomine bene precaretur; & quòd non ipse adiret, pituitæ incommodum excusaret. Quam ille beneuolentiæ significationem nimium est, qua sui demissione, cultuq; animi exceperit, contestatus, amplissimum Antistitis beneficium, honoremque nonnisi de genu se, stratumque humi accipere. Qui tùm Neapolitani Regni vices administrabat, Medinæ Dux, Olympio addictissimus, confestim & ipse adiit; ac semotis arbitris, momenta quædam animi cum eo transigere, ac per otium alloqui diutiùs voluit; tùm enixè rogare, vt aliquid peteret: qui quidem, peractis prolixè gratijs, id sibi in votis, ait, vt salutationem

Card. Bōcōpagni nomine inuisitur.

Adit Prorex Neap.

nem Angelicam ter pro se recitaret, celebrandæ, videlicet, magnæ Dei Matris virginitati ante partum, in partu, & post partum. Adfuit & maximi Pontificis Nuntius Nicolaus Herrera, studio in Olympiū longè flagrantissimus, quem ille, vt sibi à Pontifice bene precaretur, impensè rogauit. Vota deindè apud ipsum, veluti ad Summi Patris pedes incredibili quadam religione instaurauit. Accidit tùm porrò digna memoratu res. Flosculos quosdam ab arte elegantes à nescio quo Virginum Collegio dono acceperat, quos sui Præpositi nutu, ac manu ita ad vnum omnes adeuntibus distribuerat, vt ignoraret, superesse iam nullum. Igitur vt aliquod beneuolentissimo Nuntio grati animi specimen daret, quod nihil præterea in promptu esset, Præpositum rogat, vt flosculum ex ijs aliquem illi afferret: qui nullum reliquum esse respondit; ac se quidem non ita multò ante inspexisse perdiligenter, ac frustra locum. Tunc precari Franciscus, iret, ac denuò inspiceret. Mirabile dictu: aperta vix arcula, quam accuratè peruestigauerat, obiecit se se flosculus, planè elegans, caryophillus nempè ad omnem venustatem factus, ac bellè purpurascens: quem ille certis precibus consecratum, irroratumq; lustrali aqua Nuntio dedit, florem sibi magnoperè gratulanti, quem adeò mirè, atque ex inopinato vernantem, aut cęlesti areola decerptum putabat, aut certè cęli floralibus dignum. Cum his primæ notæ viris eò conuenit Nicolaus Ridolphus Dominicanæ familię Generalis Magister, qui se illi, suumque Ordinem ex animo commendauit: tùm è religiosis alijs familijs viri præcipui, atque è nobilium censu penè innumeri.

Et Apost. Nuntius.

Quę flosculo donat non sine admiratione.

Inte-

Interim morbus inualescere: eòque inungi oleo oportuit. Efflagitauerat iam suprema hæc sacra, atque ad illa eximia sese religione comparauerat. Expansis brachijs, vt suffixum in cruce Redemptorem eo saltem corporis habitu imitaretur, obire id Christiani ritus voluisset: sed quòd prohiberet vicinus admodùm paries, sublatis in cœlum manibus, vt erectum eò animũ ostenderet, perstare ad finem vsque strenuè visus est. Concipere eadem cum Sacerdote verba: interdum etiam præire, quæ, & gestu etiam, vultuque exprimebat. Vota hic etiam iterare, ne longior esset vitæ terminus, quàm hæc instaurandæ professionis consuetudo foret. Ad hæc, plerosque Deo commendare: illos potissimùm, qui aures suis cõfessionibus successiuè commodauerant: deindè addictos piacularibus flammis piorum manes: idque inter vberrimos fletus: postremò illos, qui difficillimis extremi mundi temporibus, ac parentalibus interfuturi olim essent, quos nouerat ab Antichristo maximè diuexandos: finem verò supremæ huiusce functionis excepit solẽnis Viri Dei gratulatio in ea verba: Alleluiah, alleluiah. Lætitiam: lætitiam: planè vt dici is possit, inunctus oleo lætitiæ præ consortibus suis.

Supremò inungitur

His peractis, monuit illum Præpositus, meminisset, vniuersi se Ordinis antiquiorem: atq; adeò par esse, vt antequàm abiret ad meliores, omnibus bene precaretur, ac monita etiam aliqua exercendæ virtuti relinqueret. Hærere hic aliquantisper pro insigni modestia: at enim ne refragari Moderatoris sui nutibus videretur, ita parere mox statuit, vt cauere priùs humilitati voluerit. Enimuerò Præpositi eiusdem soleam infimis precibus poposcit: impetra-

tra-

tratam admouere pectori, cōplecti, exosculari. Hoc munitus, erectusque modestię documento, bene precari, ac dicere ad Patrum cōcionem, ea quidem spiritus, ac vocis contentione, vt, nisi hausto diuinitùs vigore quodam, negarent, qui aderant, ea vi ardere exanimem linguam, potuisse. Nihil in eo, nisi viuidum, neruosum, ardens. Symbolum fidei explicare per partes cœpit eruditione, facundia, acumine supra hominem. Dixisses, singula verba ad incudem cęlestis sapientiæ, aut in officina charitatis procusa: aut Cęlitū aliquem adesse, qui copiam, neruosque sufficeret. Subleuare interdum in cœlū oculos, ceu fœcundaret noua quadam diuinorum affusione mentem: tùm prosequi, ac fluere vberiùs dictio. Satis in symbolo immoratum: disciplinam deindè, ac virtutum præsidia inculcare; de mutuæ charitatis nexu, de animi demissione, de obedientia, de votorum instauratione ita dixit, vt dixisset planè fusiùs, nisi monitus, concionem vbertim illachrymantem, atq; ad ea verba mirè inflammatam dimisisset. Non hic dissimulandum luculentum sanè testimonium, quod in ipso dicendi æstu de viro ex nostris grauissimo tùm quidem edidit. Fuit is Ioānes Capycius Galeota, quem supra meminimus, ab insigni pietate, ac vi prudentiæ cum paucis cōmendatus. Hunc Olympius vbi abundè dilaudasset; scire se, inquit, diuinitùs olim significatum, illum intra dies non ita multos à morte, ipso, videlicet, Diuæ Virginis cælo receptæ peruigilio æternam inijsse felicitatem. Id quod ipsimet fuisse cœlitus nuntiatum, persuasum habuere plerique omnes; ac voluisse, antequam è viuis excederet, hanc optimi viri sortem, qui ante ante annos omninò quinque,

Ad Patres verba facit.

Quàm disertè.

Ad Capycium Galeotam diuertit.

Card. Boncompagni munus. & triginta mortalitatem in ea ipsa domo exuerat, palam facere, ad Dei nempè gloriam, virtutisque incitamentum.

Manabant hęc in vulgus, atque inde accendi vehementer omnium desideria adeundi, hauriendiq; nouissima ab eo verba. Boncompagnus Archiepiscopus angi intimè, quòd distineri valetudine contigisset; allegabat identidem, qui à suo nomine non sine pijs donariis inuiserent. Semel rosam illi ab ipsa diuinæ Eucharistiæ ara acceptam, dono misit. Munus moribundus senex plurimi fecit, cui à tanti Antistitis manu nonnihil accederet pretii, & Eucharisticum in primis Numen sanctitatem, ac nescio quid etiam purpuræ, gratiæque afflauerat. Iterum D. Petri, Apostolorum Principis baculum, qui in primariæ Ecclesiæ thesauro asseruatur, religionis causa misit; quem ille exosculandi finem nullum fecit: vt à veneratione, affectuque colliquefieri, atque abire totus in lachrymas, videretur. Rediit maiore cum studio Prorex, ac viribus quidem imminutum, defectumque, non pietate, vigoreque animi reperit. Iterum Apostolicus Nuntius, vt denuò frueretur eo, quod in lectulo ederet sui spectaculum virtus. Adiit Poloniæ Internuntius, vir pius, Francisci nomini, ac sanctimoniæ iam pridem addictus; Antistites quoque, qui tùm Neapoli aderant, postulare ad illum aditum. Viri Principes, atque è primaria nobilitate innumeri id impensiùs poscere, vt inuiserent, ac vale vltimum dicerent. Religiosorum Ordinum præcipui, atque integra ipsa tyrocinia eò conuenire. Alloqui ipse omnes, compellare, hortari, ac sua cuique monita pro gradu, pro statu accomodare. Iuuenem quendam nobilem, cui

Iterũ Prorex inuisit.

Iterum Nuntius.

Adsunt viri primarij.

cuigrande, cultumque capillamentum, proli quæ verborum grauitate excepit: caueret, ne vna cum cæsarie soluti errarent mores: cur non Magdalenam imitaretur, præcisa, abiectaque ad Christi Domini pedes coma? Quibus ille verbis intimè percussus, expiare tùm quidem sacra confessione cõscientiam voluit. Iuuenem item aliũ iuxta nobilem vbi quàm humanissimè appellasset, id illi ad aures insusurrauit: Daret castimoniæ, puritatique operam: scilicet, is ille erat, qui carnis illecebris vitam dehonestaret, viditque eius arcanum pectus Olympius. Religiosorum habitus exosculari, atque ad reuerentiæ, amorisque specimen ad cor adprimere: iis, qui è D. Augustini, ac D. Francisci familia erant, cùm parem exhiberet reuerentiam, id etiam consueuerat, vt horum funem, illorum cinctum prensaret manibus, veluti vti ad piam verberationem vellet. Inuisentes cuiusdam sacri Ordinis gregatim tyrones, oblectatus ea indole, ac flore, paucis monuit. Ea vobis, inquit, ad cor filioli, humilitas, obedientia, ac votorum iteratio. Illum sibi visus vel maximè deuinxisse Oliuetanorum Patrum Generalis. Nam vbi suum Ordinem commendasset, missæ sacra ei exhibuit à singulis suis Sacerdotibus singula. Certare hic in eo gratitudo, ac modestia. Verbis officij plenissimis gratias habere: tùm prolixè rogare, vt permitteret ad osculum pedes: quod cùm ille negasset, soleam impetrauit, quam pectori applicuit, libatis, iteratisque osculis, cùm ad humilitatis documentum, tùm maximè, quòd sibi videretur Olueti Montis saxa, vbi sua Saluator vestigia impresserat, osculari.

Conatum Iuuenem alloquitur

Erga religiosos viros studium.

Oliuetanorum Generalis in illum beneficentia.

At enimuerò nunquam in eo vitæ confinio visus

feruentiore spiritu, zeloque exarsisse, quàm cùm illum Neapolitanæ Ciuitatis Septem-Viri cōuenere. Commendare hi communi nomine, ac studio publica commoda. Memores se beneficiorum, quæ Deus Vrbi suæ ipsius vtique precibus contulisset; ac proindè polliceri, fore vt pergerent Deiparæ sine originis labe conceptæ aram votiuis, annuisque donarijs in eo Sanctorum Apostolorum templo celebrare, vti iam instituerant. Ad Marianæ Conceptionis nomen, sacræ cuius imagini, ac cellæ piorũ ipse concursus, ac religionem non minimùm sanè conciliauerat; visus nimio quidem opere exhilarari, atque intimè incendi. Illibatæ Virginis honorem, cultumque anniuersarium vbi ijs ex animo cōmendasset, recitare eiusdem Dei Matris Canticum cœpit: idque ea dictionis efficacitate, ac vi, qua non actuosissimus quisque declamator vnquam perorasset. Quamuis morienti iam similis duceret vix animam; attemperare nihilominùs rebus vocem, inculcare gestu, ac vultu ipso igneum quendam oratorem exprimere. Aspicitis, inquit, vt plena animæ, ac ignis illa: Dispersit superbos mente cordis sui? Vt illa deindè mitia, ac planè dulcia: Exaltauit humiles? Ad ea verba: Et misericordia eius. Aperire os visus, atque haurire strenuè aerem, veluti diuinam ad se misericordiam traheret, sorberetque. Suscepit Israel puerum suum. Hic ad puerum Iesum diuertere, qui & facilè irasceretur, & facilè deinde mitesceret. Hisce notis, ac facibus solemnes illas magnæ Matris voces singillatim percurrit: tùm Sancti spiritus hymnum ijsdem sententijs, ac spiritu nũquam intermortuo explicandum suscepit. Planè ex igneis cœli linguis aliquam impluisse in os eius di-

Septem-Viri Ciuitatis inuisunt.

Ad eos verba.

dixisses, quæ non tàm verba, quàm flammas euibraret: & in ijs quidem recitandis: Hostem repellas longiùs, pacemque dones protinus: tàm concinnè, aptèque imitari, quod diceret, gestu, ac voce studuit, vt ad exquisitæ cuiusdam artis normam, atque ad oratorum præceptiones ea pronuntiasse, videri posset. Mirari Neapolitani proceres expirantis penè Senis vires, ac latera: vt facilè sibi persuaserint, inesse diuinam opem, quæ naturæ deliquium vinceret, animaretque igne quodam membra. Eiusmodi officijs Vrbs Capua non defuit: & quem Ciuem suum reputabat, inuisere per Magistratus suos voluit, Sindico, Electisque, vt vocant, eò allegatis: qui quidem non moribundo, sed Angelo cuidam decumbenti sisti, sibi visi sunt: vsque adeò illos species, ac suauitas oris affecit. Detulere deinde Ciuium studia: tùm Patriam, ac rem communem; priuatamque eius precibus, fideique commendarunt. Et is quidem complecti ex animo Viros; testarique erga prænobilem Vrbem affectum. Sed paucis hæc: nam quòd exhauriri contentione dicendi vires, viderentur, cauerant Patres, ne sermonem extraheret. Capuanus Magistratus inuisit

Interim luctandum cum promiscua multitudine, ac cum flagrantissimis hominum studijs fuit. Enimuerò cum propius iam esse Serui Dei fatum, percrebuisset; accendi perditè vulgus, ac turmatim ad Sãctorum Apostolorum adire, vt breui cõpleri supra, infraque populis, angustarique domus, visa fuerit. Persuaserant quidem sibi nostri homines, ingentes fore mortalium concursus; sed qui ordine quodam leges accipere, ac reprimi Patrum præsentia, atque auctoritate possent. Verùm vbi semel populorum æstus efferbuit, nulla profectò ratio, aut vis conti- Multitudinis concursus, ac studia.

nuerit. Clatrari portas, oportuit, sed frustra. Nam hi quidem muros conscendere, hi per fenestras præcipiti aditu ingredi: plerique, cùm adirent medici, facto impetu, irrumpere: cùm interim adstreperent foris, ac tumultuarentur, qui admitti postularent. Iam, ad morientis præsertim cubiculum turbæ: cũque vis hominum ingrueret, ac fores propelleret, reuulsis cardinibus, disruptisque seris, patuit illicò ostium, irruitque in cellam ingens prementium sese numerus, obnitentibus, ac reclamantibus frustra nostris. Ad hæc serena fronte Olympius à tumultu, à strepitu minimè perturbari. Ad Dei gloriam, honoremque ea fieri, dicebat. Non se circumfusam eam multitudinem, sed Deũ quærere: atq; huc ea Regij Vatis verba detorquebat: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput, hoc est, exhilarari se quidem eo torrente mortalium; sed vt caput ad Deum rerum Dominum erigeret. Itaque excipere gratanter vim hominum; ita tamen, vt iusserit sacerdoti, qui aderat, non priùs quempiam ad suæ manus osculum admoueret, quàm is osculatus Christi è cruce pendentis pedes fuerit. Sic à Saluatoris pedibus ad Olympij manus sensu quodam voluptatis incredibili transibant. Ipse identidem monere appositè. Morum decus, pietatis laudem, Dei timorem inculcare: ad pœnitudinem præsertim, ac cordis lachrymas adhortari. Cum verò haud multis agere exhaustus iã corporis vigor sineret; ea saltem verba pronuntiabat: serua mandata Dei, & ecclesiæ. Atque hæc quidem quò ille remissiùs ab imbecillitate proferebat, eò firmiùs animo adhærebant; ac suam quisque sententiam, ac monitum memori in pectore seruabat: planè vt nemo non me-

Ad Olympij cellam impetus.

Multitudinem quo vultu, ac sermone exceperit.

melior, ac vitæ ſanctioris percupidus à moribundo Olympio redierit.

Feſtinare interim ad vitæ metam, commendabatque in peracuta morbi vi tolerantiam incredibilem, firma ſemper facie, erectuſque animo, ceu nullus afficeret doloris ſenſus. Interdum verò ea inerat vultu hilaritas, perinde quaſi cubaret in roſa, ac delicijs diffluerct. Proferre quidem aliquando dolentis interiectionem, ac vocem: ſed profeſſus palam eſt, dolere tùm ſe de Dei offenſis, non de corporis ærumna, aut ab ægritudinis moleſtia. Si quid humanæ opis, aut ſolatij inſtaurandis viribus afferrent, id illi quàm morbus ipſe, longè grauius. Quòd linquere aliquando animus videretur, reuocandum odoratis vndis curabant; tunc ille luſtralem aquam ſtatim poſcere; vt quicquid deliciarum reſperſerat pretioſior ea vnda, ablueret, aboleretque ſanctior ſtatim humor. Prętcrea, quòd litare ad aram nequiret, labijs litabat aſſiduè. Semper aliquid piæ precationis admurmurare: pſalmos recitare: Marianum Roſarium percurrere: iaculatorijs, vt vocant, precibus nihil illi frequentius: ijſque vt ſe ſe mirè inflammabat, ita & quotquot aderant, intimo quodam ſenſu dulcedinis emolliebat. Præcipuum illi ſolatium, Saluatoris in Cruce ſuffixi effigies: hanc admoueri ſæpiùs pectori, ac labijs volebat: non amplexibus, non oſculis ſatiari: alloqui diſertè vulnera, iiſque os affigere, vt nectar combiberet, quod inde vberiùs manat. Qui cæleſtium deliciorum indulgentias à piacularibus præſertim numiſmatis indipiſci auidè ſolitus erat; non hunc in extrema vita morem oblitus. In id potiſſimùm incumberet earumdemque indulgentiarum partem mancipa-

Tolerātia ac pietas morienti.

tis purgatorio igni manibus allegat; ijs vel in suprema vitæ periodo, & vsque ad aras beneficus: planè ad Christianæ charitatis, atque amicitiæ leges. Inter hæc extremę pietatis studia eò tandem deuenit, vt superesset vix ori halitus: iussum proinde illi fuit, ita à precibus, quæ voce concipiuntur, temperaret, vt ab omni prorsùs labiorum motu abstineret: paruitque vir obediens vsque ad mortem; id solummodò precatus, vt liceret nouies pleno spiritu exhalare: quo quidem intendebat, imploratis nouem Angelorum choris, per eos mittere, atque offerre Deo animam. Propior verò suo fato, hoc est, pridie quàm expiraret, id etiam rogauit, vt quæ vetustior, ac despicabilior esset domi vestis, ea cadauer obuoluerent: quam deinde se coram consecrari voluit ad eundem prorsùs ritum, quo nostratium vestes, cùm solemnia nuncupantur vota, consecrantur: gratulatus magnoperè, quòd cerneret, emortuales eas lacinias piis orationibus initiari. Iterpretabatur nempè, obitus sui diem solemnem sibi fore, non secus ac religiosæ professionis dies fuerat.

Sacris igitur procuratus, ac tùm cœterarũ virtutũ, tùm diuinæ in primis charitatis, pietatis, humilitatis exemplis instructus, suæ occurrit morti Franciscus; ac die Februarij mensis vigesima prima appetente, laborare supremo spiritu cœpit, serenitate vt animi, ita & vultus incredibili. Non grauior illi anhelitus, nõ inquies labor, aut horror, mortis nempè insignia, ac comites: verùm spirare in morientis facie sanctitas, ac quædam etiam suauitas, quæ intuentes mirificè afficeret, videbatur. Quicquid ex pijs libellis recitaretur, attentione quadam, erectisque in cælũ oculis auscultare, significabat. Vespere,

re,

re, quòd cum die peruenerat iam ad occasum vitæ cecinit de more signum, eòque confluxere Patres ad vnum omnes, vt exeuntem animam precibus, ac supremis officiis prosequerentur. Sub primam verò noctem visus ipsemet moribundus inuitare quodammodo mortem, vt adiret. Nam veluti aliquem ad se vocaret, manu annuit, ac nō post paulò immutato oris habitu, piè, ac tranquillissimè expirauit, ætatis anno octogesimo, non dum expleto; postquam stipēdia in Ordine meruisset annos omninò sex, & sexaginta, eo vitæ cultu, sanctimoniaq; qua diximus. Haud pulsatum, vti moris est, æs cāpanum. Id siquidem primum nostris, celari, quoad fieri posset, funus, ne nimius populorum ardor, ac celebritas exequiarū iusta mane interturbaret: tùm quia verendum maximè erat, ne aliena licet hora procerum concursus fierent, quod quidem per eas tenebras intempestiuum. Piè moritur Olympius.

At enim de eius sepultura mox dicemus: interim è re quidem fuerit, dare hic statim literas eximiæ cuiusdam sanctimonialis, quam parcimus appellare, quòd in præcipuo, atque adstrictiore Neapolitanæ Ciuitatis asceterio agit hodieque inter viuos, & quidem ab insigni virtute in omnium admiratione, ac fama. Quicquid sibi, ægrotante, elatoq; Olympio, acciderat, perscribere hæc ad confessarium, qui tùm Augustinus Rubeus, vir ex nostris à doctrinarum præsidijs commendatissimus, eodem hoc anno die Iunii septima, & vigesima, euulgandæ, videlicet, Serui Dei virtuti, gloriæque voluit. Sic igitur Epistola, quam ex fide latinè reddimus.

Literas do Reuerentiæ tuæ non sine pia quadam inuidia de Francisci Olympii felicitate. Etenim antequam

Tiæsan- ctimonia- lis, de Olympio litteræ.

tequam desineret viuere, sub ipsum nempè ægritudinis initiū obiecit se se mihi, rogauitque, vt quando migraturus ex huiusce vitæ miseriis ad cælum propè diem esset, peculiari studio pro se orarem; pollicitus, fore, vt me post obitum inuiseret, haberetque pares beneficio gratias. Hæsere intimè Viri postulata, ac nunquam subindè fundere pro eo preces destitj. Iterum dum lecto item decumberet, videre mihi videbar, vestem illi acu pingi, longè elegantissimam, candidis liliis interstinctam. Tertiò illum veluti testamenti tabulas condidisset, aureas quasdam pecunias, gemmis illuminatas distribuentem vidi: agnouique tùm quidem virtutes eas esse, quas amicis diuideret. Die verò, si memini, ab obitu tertia, vti pollicitus fuerat, adfuit, ac per summam lætitiam id mihi significauit: Sciueris, inquit, ipso morbi initio Dominum me totum emundasse; succedentibus verò diebus thesaurum quendam gratiarum donasse. Atque his dictis, eadem vultus hilaritate abiit. Coniectari hinc facilè, Pater, licet, quæ me cœperit inuidia. At posthabenda Dei voluntat sua commoda. Spero, fore, vt is mearum mihi noxarum veniam impetret: id quod vt tu etiam facias, ac mihi bene preceris, etiam, atque etiam rogo. Hęc illa, cum qua, vt facilè pares conueniunt, intercesserat Francisco familiaritas, eamque certiorem suæ gloriæ, diuinæque in ipsum beneficentiæ statim voluit.

Olym.

Olympij Sepultura.

Cap. XXII.



ON adeò clam haberi mors potuit, quin euulgauerit statim fama: ac summa luce insequentis diei visum Sanctorum Apostolorum nō modò templum, sed attiguum etiam peristylium ab innumera penè hominum multitudine frequentissimum. Curatum de more corpus, ac sacerdotalibus instructum indumentis, non ante ad Ecclesiam elatum, quàm exprimi vultus, vt fieret virorum procerum pietati satis, contigisset. Illud hic admirationi deseruiit. Dum effingeret illum pictor, visa obriguisse omninò membra: putaruntque, ideò difficilem, durumque præbuisse se, quòd exprimi lineamentis, ac coloribus suam faciem extinctus etiam abnueret, quod perquàm ægrè superstes permiserat. Cæterùm post picturam nihil eo corpore facilius, ac mollius, flecti in quamcunq; libuisset partem, videbatur: fuitq; qui illum suomet brachio, ac manu Cruce signauerit. Iam in exequiis peragendis non minimum sanè opus, ac labor. Occupauerat, vti monuimus, circumfusa vndiq; multitudo Ecclesiam, vt aditum omninò intercluderet funeri. Quare id consilii ceptum, vt cunctando perficerent rem, ac corpus nō ante meridiem efferrent. Scilicet, defatigatos, fractosque ea mora, plerosque abituros; atque adeò fore, vt non ita itinera, quà erat transeundum, ac templum angustaretur. Sed frustra hęc: accitusq;

Exprimitur effigies.

Effertur tumus. prętorianus miles; quo quidem egrè turbam submouente, deductæ ad Ecclesiã piæ exuuiæ nostratum humeris, qui in iis ferendis certauerant. Feretrum ritu nostro omninò simplex; sed quod præclarum pignus nobilitabat, conuertebatque omnium in se oculos, ac animos ipsa cadaueris species. Cauendum id maximè fuit, ne propiùs accederet vulgus: non enim à pia quadam direptione temperasset. Quare collocatus in templi medio loculus, ita opposito obice munitus, vallatusque est, vt aspici quidem ab omnibus posset; adiri, ac tangi non posset: admotique prętereà plerique ex nostris, qui id ipsum curarent: ne scilicet, vt est indocilis populorum ardor, facto impetu, irrumperent, ac violentas in vestes, atque in capillos inuicerent manus. Quod quidem haud caueri perindè potuit, quin, obnitente etiam milite, viri incitatissimi ad manuum, pedumque osculum irruerent. Nullus penè è nobilium virorum, ac matronarum censu funeri desideratus. Adfuit ipsa in primis Anna Carafa, Hostiliani Princeps, Proregina, & Mõdragonii Dux Aldobrãdina, eius Mater; quibus adire, ac sacras exosculari exuuias datum. Addictissimæ illæ quidem superstiti Olympio, & ab acceptis etiam beneficiis obnoxiæ; prosequi eo cultu, studioque defunctum voluere.

In Virginem pietas vel è feretro. Illud profectò non mediocri dignum admiratione plerisque tùm quidem visum: nempe religionem, quam in Deiparam sine labe conceptam Dei Seruus, dum viueret, exibuerat, extinctum etiam pręsetulisse. Enimuerò quoad in Ecclesia prostare cadauer contigit, verso sinistram in partem vultu, vbi Marianæ Conceptionis sacellum, spectare Tutelarem, patronamque suam videbatur. Et Dominicus

cus quidem Dicaſtiglius ratus, non id temerè, caſuque euenire, capere eius rei experimentum voluit. Quocirca quod ſiniſtrorsũ, ad Deiparæ nempè ædiculam, vergebat caput, ſuiſmet ipſe manibus dextrorsùm flexit: nec poſt multò animaduertit, conuerſa iterum occulta quadam vi facie, reſpectare eòdem, eandemque magnam Dei Matrem, vnde paulò ante amouerat. Scilicet, neque à ſuo ſole Eliotropium, neque à ſuo ſydere magnetem ita deflexeris, quin ſtatim redeant, quo arcano quodam impetu trahuntur. Fertur etiam infans quidam ad exanime Viri Dei pignus è complexu nutricis exclamaſſe. Proh quot hic circumſtant pupuli. Vnde perſuaſere ſibi viri graues, Angelorum examen cohoneſtandis piis Manibus eò aduolaſſe, ac feretrum feſtiuè circumſtetiſſe: quos Angelos infans ille à puellorum ſimilitudine, ac ſpecie pupulos appellabat.

Peracta à noſtris exequiarum iuſta ſolemni ſacro, atque ad tumulũ thure, ac precibus, per ſummam nempè contentionem, ac laborem ab eo, quem diximus, populorum æſtu. Tùm deductum ad Conceptionis Deiparæ Sacellum corpus, ibiq; ad Euangelij latus plumbeo in loculo compoſitum, ſepulturæ pro modo mandatum; citiùs profectò, quàm ſtudia Neapolitanorum poſcerent: vt qui diutiùs eo frui aſpectu, ac pietate ſua voluiſſent. Celebratum ſubindè per reliquum diem templũ promiſcuo hominum concurſu, ex quibus qui mane non interfuerant, lamentari, quòd funus nimiùm feſtinaſſent: cùm interim hi quidem vt obſeruantiam in Olympium teſtarentur, ſepulchri locum, & quod Manes contegeret, ſaxum exoſcularentur; cæteri verò no- Conſepelitur.

ſtratium modeſtiam dilaudarent, quòd vulgi impetus præcidiſſent, curaſſentque, ne quid contra maiorum decreta auſa videretur intempeſtiua religio. Neque verò vnà cum Serui Dei exuuijs conſepulta virtutum opinio, communiſque in ipſum deuotio fuit. Superſtite ſiquidem ſanctimoniæ fama, viſus exinde citra publicam pietatem, ac cultum, ſummo in honore, ac veneratione haberi. Ad Sepulcrum religionis ergò aditur. Ejus in aduerſis præſidium non ſine præſenti fructu imploratur. Plerique in ſuorum tutelarium cenſum adſcripſere, ac ſtatas illi preces priuatim recitant. Fuit qui ſerica vitta emetiri ſibi corpus voluerit, vt ad eundem prorsùs modum, quo Diuæ Virginis Monſerratenſis, ac D. Dominici Suriani menſuræ circumferuntur, ea deindè vitta ad ſui tutelam vteretur. Cœptæ ſtatim eius imagines veluti excellẽtiſſimæ virtutis viri typis conſignari: Nec deſideratæ mox beneficiorum teſtes votiuæ tabulæ, quæ ad Romanarum legum normam in ſacrario aſſeruantur.

Ad tumulum ſanatur Florẽtina.

Iam quo die contumulatus Franciſcus, non deſuere, implorata eius ope, beneficia: quæ hic ex actis Neapolitanis ſtatim referam. Hieronima Florentina Neapolitana peracerbo quodam brachii dolore quatuor omninò menſes laborauerat. Admota alia ex aliis remedia, ex quibus recruduiſſe potiùs malum videri potuit. Ergò cùm functum vita Franciſcum, ac conſepeliri ſolemni funere inaudiuiſſet, adire Sanctorum Apoſtolorum templum ſtatuit, ingẽti quidem fiducia, fore, vt ſi extinctum Dei Seruum, aut eius feretrũ tangeret, pretium inde operæ, nempe brachii incolumitatem referret pietas, ac fides. Templum vſque adeò mortalium multitudine circum-

cumſuſum offendit fœmina, vt accedere propiùs poſſe, ac tangere optatum pignus, omninò deſperauerit. Pręſtolari nihilominùs, vt, digreſſa deinde turba, à Sepultura impetraret, quod negauerat feretrum. Iam, opportunitate confeſtim arrepta, prouolui non ſine lachrymis, ac ſpei plena ad Sepulcrũ: implorare Franciſci merita, patrocinium, preces: ea præſertim intimè proferre: Putare ſe quidẽ ſuperſtiti Olympio haud imparem extinctũ Olympium: atq; adeò qui dum viueret, commiſerari humana infortunia, atque ærumnas ſolitus erat, adeſſet tunc prolixè inuocanti, ſentiretque præſentem opem conflictata doloribus mulier. Neque mora: vbi ter Sepulturam affecto brachio tetigiſſet, qui immedicabilis erat dolor, eueſtigiò affirmant, euanuiſſe. Acceſſitque mox eius beneficii veluti appendix alterum beneficium. Cum enim tentari etiam dentibus conſueuiſſet, ac tùm quidem vexaret dolor, aliquid recentis tumuli calcis inſtinctu quodam ore ſumpſit, conualuitque: vt vnam, eandemq; medicinam ad plura morborum genera opportunam, agnouerit defuncta gemino eo dolore mulier. Quam quidem medicinam à matre didicit mox filia, cui nomen Lauinia. Nam cùm & ipſa non ita poſt multò eodem dentium dolore laboraret, animata domeſtico parentis exemplo venit, orat, calcem dentibus admouet, abiitque confeſtim dolor.

Sed de tumulo id etiam recenſendum, quod ſub id etiam tempus fertur accidiſſe. Hieronyma Pennucia ſeptuagenaria, quæ apud Principem à Colle annos circiter quadraginta honorariam matronam egerat, affecto brachio diù, ac fruſtra medicinam quæſiuerat. Vellicabat aſſiduus dolor, ceu ſpinæ

Et Hieronyma Pẽnucia.

quæ-

rageret, testatus iureiurando est, integrum annum quàm sæpissimè, præsertim in Dei Parētis diebus festis recreari se ingenti quodam odore sensisse, planè incomparabili, eique non absimili quem è D. Antonij Patauini ossibus manare ipsemet ad eius sepulcrum experientia comprobauerat. Redolere Diuorum Martyrum, aliorumque Sanctorum hominum Cinerem, haud insolens. Sed hoc ab ingestis plerumque odoribus. Tenuit namque apud Christi fideles mos, ac religio, vt honestandis eorum ossibus, affunderent ad tumulum plena manu aromata. Testatur id D. A Paulinus Nolanus, qui de D. Felicis sepulcro loquens hæc ait.

Mártyrū Cineres redolét.

A. Natali sexto D. Felicis.

Martyris hi tumulum studeant persundere nardo,
Et medicata pio referant vnguenta Sepulcro.

Cuiusmodi donaria B Gregorius Magnus Secundinæ Virgini misit, vt haberet, vnde Martyrum Manes, ac puluerem inodoraret. Et in C Caroli Magni vita imbutum, infartumq; eius Sepulcrum legimus pretiosissimis odoramentis. Quibus verò Assyria hæc seges non suppetit, horū ossa odorem si efflent, dicendum profectò est, ab vnguentaria virtutum officina id deliciarum existere. Ipsa nanque virtus, ac sanctimonia balsamum odoratissimum, quæ seruorum Dei membra vt consecrat, ita & pigmentis etiam condiunt: vt mirum non sit, si redoleant aliquando, sicut areolę aromatum, consitæ à pigmentarijs. Id quod affirmandum de Olympio, cuius tumulo istiusmodi non defuere thymiamata, & cinnama, ac suaueolentium florum ver. Quod quidem neque vnius Dicastiglij fide constat. Nam Ludouicus Antinorus, appellatus à nobis aliàs, eodem ipso anno, quo ab humanis excessit Olympius,

B Epist. ad Secund.

C Pithœus in Vit. Car. Magn.

Odorem sentit Antinorus.

ean-

eandem ipse consuetudinem adeundi, osculandiq; eius tumulum suscepit, tenuitq; ac testatus persanctè est, nunquam libasse illi oscula, quin halitum quendam odoratissimum diffundi ab eo senserit: à quo deinde moniti plerique ex nostris, inter quos Franciscus Boluitus, & Franciscus Falchina, viri, quibus ab æuo prudentia, quàm olfactus sagacior, eandem & ipsi fragrantiam hausere. Illud aliquando exploratissimum, & quod in Sanctorum Apostolorum domo nemo nō reipsa agnouit. Gabrielē Mariam Lotharingium, Olympij ministerio diù mancipatum, non semel meminimus. Hic altero ab eius morte vertente anno in ipso Pentecostes peruigilio Ecclesiā sub meridiem vix adiit; cùm perfudi se peramœno, atque insolito quodam odore sensit, veluti florentissimū quendam in hortum, in quem Fauonius, aut Auster perflaret, ingressus. Miratus nouitatem, perquirere diligenter, vnde ea vis odorum manaret. Nihil tùm quidem in ara maxima florū, aut factitij odoramenti: nihil in Conceptionis Deiparæ Sacello, quod floreis ornari, atque inodorari fasciculis consueuerat. Ergo impetu quodam ad Francisci Sepulcrum demissus, euaporare suauissimum inde halitum, ac fragrantiam aduertit. Nec mora: domus Prępositum, qui tùm Franciscus Nisius, atque obuios quosque è Patribus rei monet: quos eadem primùm ab odore templi cepit admiratio: tùm explorata Viri Dei sepultura, eam esse hortum conclusum, vnde fluerent aromata, apertè cognouerunt.

Et Gabriel Maria Lotharingius.

Et plerique ex nostris.

Qua quidem amœnissima odoris aura afflatus aliàs Andreas Filingerius, Neapolitanæ Prouinciæ Visitator, dum Sanctorum Apostolorum cœnobiū

inui-

inuiseret, atque ad Olympij Sepulcrum oraret: eandemque hausit non semel Ioannes Baptista Caracciolus, eiusdem domus Præpositus. Nec defuere exteri, hac etiam suauissima aspiratione, ac halitu ad eius vrnam d gnati. Ille præcipuè, cuius dedita opera nomen siluit Dominicus Dicastiglius, cùm in actis Neapolitanis pro testimonio dixit. Eximia is virtute, ac cęlestibus etiam deliciis perfundi solitus, Neapolim aliquando petiit (externus quippe erat) cumque ad Viri Dei tumulum pietatis ergo se se frequenter conferret, affirmauit, quoties illum exoscularetur, toties incredibilem quendam erumpentem inde odorem sensisse: vt diceret, accommodari illi optimo iure posse præclarum illud Iosiæ elogium apud Ecclesiastem: Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarii. Huic addimus ex Augustiniana Familia religiosum virum, cui Gregorio Gragnano nomen, qui peracerbis doloribus diuexatus, perfugium in ea sibi ærumna delegit Olympium. Fudit is ad eius Sepulcrum preces: dumque ad osculum se se demittit, inhalari ab ea humo incredibilis quidam odor sibi visus est. Flores non longè abesse, secum ipse reputauit: Sed dũ attentè circumspicit, ac nusquam flores, persuasum habuit, pro floribus ipsa esse Olympii pignora, id loci contumulata: quibus & incolumitatem acceptam retulit: neque enim sæuire ampliùs dolor poterat, ea fragrantia delinitus. Et exteri.

At enimuerò illud hic non dissimulãdum, quod nostratibus simul, & exteris ingenti cùm admirationi, tùm voluptati fuit. Voluentis seculi anno nono, & quadragesimo, quo tempore SS. Apostolorum cœnobium Ludouicus Antinorus tẽperabat, trans- Transfertur.

D d ferri

ferri Francisci corpus debuit è Mariana ædicula in Sacellum, quod nunc quidem à Beato Andrea Auellino nuncupatur. Ergo vt ritè peragi rem, cōtingeret, adesse Generalem Neapolitanæ Ecclesiæ Vicarium, oportuit, qui nuper Archiepiscopi sui autu de Serui Dei virtutibus, ac miraculis anquisiuerat. Accersiti & testes, à genere, ab œuo, à morum grauitate, omni quidem exceptione maiores. Fuere hi Hieronymus Carafa, Roccellę Princeps, Lucius Caracciolus, Altouiti Dux, & Flaminius Antinorus: adhibiti etiam in facti conscientiam è nostratibus pauci, inter quos Prępositus fuit, cui id potissimùm curæ, vt citra pompam, ac scenam, hoc est, intra summorum Pontificum, ac modestiæ leges ea translatio fieret, ne quid viderentur asseruisse præmaturi cultus piis Manibus. Igitur aliena quidem diei hora ventum ad locum; foditur: mirum sanè dictu: ad singulos ictus non puluis, sed tenuis quidam vapor erumpere, qui vbi adstantes mira quadam suauitate odoris in orbem afflauisset, euanescebat. Dixisses, virgulas fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii ex iis fossulis vaporare. Ac primò quidem frui quisque in sinu, ac tacitus ea amœnitate. Sed mox consensu quodam prodere singuli voluptatem, ac sensum; constanterque affirmare, nonnisi è Francisci ossibus fragrantiam illam existere. Et quidem comperta mox luculentiùs res, atque oblata noua admirationi seges. Enimuerò, effossa humo, apertaque vrna, reperta innatantia cuidam veluti balsamo ossa: tùm perindè quasi fuissent mixta rosis consepulta inibi lilia, eximius inde odor exspirabat: planè vt nemo eliquatum pretiosè corpus, atque ab eo fragrantiā

Quid tū acciderit.

effusè

effusè non miraretur. Aderat, quem modò dixi, Gabriel Maria, qui pietate, ac manu præferuidus, attrectare clam pignus voluit; manumque inde retraxit, vnguento, atque odoribus mirificè delibutam: cuius quidem balsami cùm odor, tùm color ita inuicti viri dexteræ visus est, vt diutiùs perdurauerit, mirantibus, qui infectos cernerent digitos, eosque ad experimentum odorarentur.

Moratur adhuc stylum Olympij fragrantia: neq; enim tumulus dumtaxat eiusmodi odoramẽtis imbutus; sed vestes etiam mirè aliquando redoluisse, cõpertum habemus, quod hic attexendum. Penes Angelũ Mariam Verricellum, virum ex nostris apprimè eruditum, ac frugi, nescio quid Serui Dei laciniæ fuit, habebatque ab insigni odore in pretio: ac testatus ex fide est, tantũ inde fragrantiæ diffundi, vt conciperent eandem ipsam confestim digiti, qui tangerent. Illud longè mirabilius Arimini contigit. Seraphinus Abbas ex laici ordinis fratribus, vir bonus, ac proniore in Olympium studio, quandam eius vestem in carissimis habebat, circumferebatq; vnà secum, quòcumque iret; veluti in vna illa Viri Dei lacerna, Biantem imitatus, omnia bona sua secum ferret. Iam, quod auaritiæ quoddam genus esset, opes, quæ pluribus prodessent, repositas vni sibi, ac veluti consepultas habere, discissum in partes indumentum, distribuere in aliquot è nostris domibus, cogitabat. Sed Arimini ita apud ipsum Patrum auctoritas, ac preces valuere, præcipuè Thomæ Carpinei, Cardinalis Carpinei germani fratris, nunc Episcopi Ariminẽsis, & Syri Straferræ Genuẽsis, tunc eius cœnobij Præpositi, postea Episcopi Aiacensis, vt is passus exorari, integram eam vestem

Ariminensi domui addixerit. Neque diù post indicatum Patribus, quid ipsis accesserit pretiosi exuuij. Enimuerò recurrente anniuersaria Olympij die nobilis quædam matrona, venerabili Serui Dei memoriæ cũ paucis addicta, id infimis precibus à nostris postulauit, vt indulgerent ea luce sibi ad pietatis delicias, suique solatiũ pretiosiorem quauis purpura, auroque vestem. Igitur allata domum. Nec multis; perindè ac si vas quoddam adoramentarium, ac præcipui nominis flores eò importassent, expirari ab ea odor, non quidem surdus cœpit; sed qui vi quadam conclaue ipsum, ac quotquot aderant, incredibili quadam suauitate confestim amœnauerit. Planè cum simplex, quà ligno, quà opere arcula illam contineret, nihil inde fuci, aut externæ, mutuatæque fragrantiæ suspicari quis poterat; datusque eximiæ Viri virtuti, ac sanctimoniæ bonus ille odor. Narrauimus hæc porrò ex Thomæ Carpinei, viri eximiè probi fide, qui datis ea super re ad Ludouicum Antinorum literis, quæ penes nos extant, id etiam addit, quod puto ipsa vestium fragrãtia planè maius. Eadem nempè die fœminam quandam malorum dæmonum obsidione diutiùs, ac miserandum in modum diuexatam, im plorata Olympij tutela, ac ope, fugatis infernis hostibus, in libertatem assertam.

Arimini Olimpij vestis.

Post

Post mortem mirabilia.

Cap. XXIV.



DPROBARE mortalibus insignia piorum hominum promerita, non vna sanè ratione assolet diuinū Numen. Ea præcipua, cùm nimirum ad eorum preces depluit cœlitùs beneficia, ac res admirabiles patrat. Valuisse eiusmodi precationum, ac patrocinii efficacitate Olympium, dum viueret, ea abundè commostrant, quæ hactenùs cùm sparsim, tùm suo in loco significauimus. Quæ verò, exuta deinde mortalitate, eius virtuti celebrandæ, contestandæque Deus ipse per interualla patrauerit, poscit locus vt perstringat, delibetque narratio. Omnia autem commemorare, res esset sanè prolixior. Ea dumtaxat in medium producam, quæ exploratiora, & fama, & testium fide. Ac primò quidem ea explicanda, quæ implorata dumtaxat eius ope, ac nomine impetrata. Innocentius Paulucius, vir, & genere, & virtute nobilis, correptus peracerbo laterum dolore, eò est discriminis adductus, vt metueret iam vltima, accersito etiam, qui conscientiam, animumque procuraret, confessario: etsi persuasum habebat, fore, vt à morbi vehementia vix nutu aperire noxas suas posset. Interea temporis subiit animo Francisci Olympii virtus, monitusq; intimè est, vt eius sese fidei, tutelæque commendaret. Paruit: conceptisque vix precibus, dispulsa euestigiò, quæ latera diuer-

Paulucius mirè curatur.

uerberabat, doloris vis; gratulantibus, qui aderant, ac magnoperè festinatam adeò incolumitatem demirantibus: quam nonnisi diuinitùs, atque Olympii precibus cōtigisse, affirmabat ipsemet Innocentius, quando eodem aliàs incommodo cōflictatus, nunquam nisi post pluſculos dies, atque à præsentissimis artis remediis conualuisset.

Et Iacobus Colūna.

Idem Iacobo Columnæ Altabellæ Marchioni in difficillima ærumna perfugium, ac par etiam euentus. Pestilentissima ex febri conualuerat is medicorum ope. At non ita post multò subito quodam malo interceptus, eo peti se impetu sensit, vt persuaderet iam sibi, profligatam iam febrem, reparatis veluti viribus, valentiùs debellando corpori rediisse. In eo rerum æstu Olympium patronum deligit, inuocatque; & quidem tanta cum animi fiducia, ardoreque mentis, vt videretur sibi adfuisse tùm quidem, atque aspirasse votis Dei Seruus. Igitur tantisper quiescit: à quiete statim incolumitas, quā acceptam Olympio retulit: gratusque liberatori, ac vindici votiuam illi ex argento tabellam trilibrem dedicauit, quæ vnà cum cęteris opportuna in Sacrarii parte seruatur.

Antinoro præsens Olympii auxilium semel:

Geminum Olympii tutelæ documentum annectimus, vtrumque domesticum; alterum mari, terra alterum Ludouici Antinori fide, votisque promeritum. Semel is Neapolim Florentia, vbi in solemnis Ieiunii feriis declamauerat, reuertebatur. In itinere descendere equo contigit, quem dum mitem reputat; neque habenas ipse retinere, neque id officii commendare cuipiam, necessarium duxit. At ille ferociore quadam indole, libertatem nactus, eò se se cursu pernicissimo momento abripuit. Ire

huc,

huc, illuc per ima vallium, per aspera rupium; nihil quippè circumiecta ea regione abruptius. atque adeò nihil omninò difficillius, quàm per ea viarum incommoda sequi, morarique lympharum animal. Voces, inuitamenta, nutus frustra erant. Prçiuisse, atque abesse iam longiùs vnà cum reliquo comitatu socium, solicitudinem, curasque Antinoro non minimùm adaugebat. Aderat quidem religiosorum hominum par, qui dum putant, è sublimi quodam iugo, intentatis saxorum iactu minis, sistendam equi fugam, id effecere, vt is acrioribus stimulis irritatus, impotentiùs insaniret: suisque vltrò, citròque actus furiis, tandem ab omnium se oculis proripuit. In ea rerum angustia non se destituit Antinorus: quando humanam opem omnem desperauerat, pulsare cçlum statuit: allegare ad Diuos tutelares suos preces; qui dum morantur, moneri se intimè, ac disertè sensit, inuocaret ex animo Franciscum, conciperetque illi votum: fore nempè, vt ad eius nomen propitium adesset Numen. Haud falli se, is putauit. Demissus illicò in genua, prensat, vouet. Mirabilis & dictu, & visu res. Dum orat, ecce tibi, posita præferuida ea indole, ac impetu, redire equus, agno mitior: tùm superiore quodam imperio, ac nutu actus, dat se, suique habenas vectori suo: planè vt excusserint Antinoro lachrymas pronæ adeò Olympij aures, atque ab eo præsidium. Damnatus voto, statim ac Neapoli peruenit, ea se religione exsoluit, picta insuper tabula, quç posteros rei moneat.

Iterum propitius Antinoro Franciscus: idque eò luculentius, quòd fluctuasse in pelago plus habet horroris, ac aleæ. Genua Neapolim velificabat, cùm

Et iterum.

cùm ad Romanam oram maritimam ſubita quadam procella miſceri cœlum, ac pelagus cœpit: eòque mox viſa tempeſtas inſaniiſſe, vt affirmauerint nautæ, nūquam ſe tàm periculosè cum ventis, marique luctatos, Deſpondere iam quiſque animum: quicquid cymbam grauaret, nulla mora proiicere: de conſcientia potiſſimùm exoneranda, expiandiſq; animi noxis propiore iam fato cogitare. Vna Antinoro in ſummo eo rerum diſcrimine ſalus, ac ſacra anchora, Olympij nempè tutela, ac nomen, quod & implorabat ipſe enixiùs, & vt nautæ implorarent, curabat. Nec plura: viſa portento quodam tempeſtas ipſa temperaſſe impetum, ac parcere. Enimuerò admiſſo ſemel mari, perierat lembus, ſi fluctus mox alij ſucceſſiſſent. Igitur, dum oppleta iam vndis cymba, aliæ ad vltimnm exitium impenderent, Olympii opem inclamabant; ac tùm quidem ſubſiſtere iratum pelagus, ac tantiſper expectare, quoad priores exhaurirent fluctus nautæ: iis exhauſtis, iterum aquæ vis; ſed iterum deindè ad Olympii nomen induciæ, ac mora: planè vt niſi fluctibus exſiccatis, nunquam irrumperent noui fluctus. Sæpiùs id factum, quoad luſa mirè procella, portum gratulabundi tenuere: gratias terrarum, ac maris Deo; tùm Franciſco ipſi canentes, cuius patrocinio decumanas eas vndas, ac furens pelagus triumphauerat cymba.

Panormi eſt, quod Olympii tutelam in noſtros commendat. Matthæus Vaſlallus non dum ſacerdos, neſcio quid rei extra Vrbem curaturus, dat ſe ſe viæ curru vectus. Et quod Marianam Serui Dei coronam deuotionis ergo cuidam ferret; ea & ipſe religione excitatus, mane illius ſe ſe precibus cōmen-

Vaſſallo crus frangitur.

mendauit. Vespere domum dum reuertitur, amoto ex inopinato è currus aditu obice, curru decidit, planè luculenta cum corporis clade. Siquidem interceptum rotis crus alterum, effringi miserãdum in modum contigit. Euocatus illicò medicus nihil eo casu grauius, pronuntiauit; ac rem esse immedicabilem; certè à mora diuturnam, ac longè molestissimam. Attamen mederi pro modo. Interim implorare ipse Franciscũ, implorare & qui aderant. Nec multis: intra triduum euanuit prorsùs dolor: dies deinde intra septenos moliri crus, ac pedem cœpit: intra quindenos omninò conualuit, duouigesima verò à casu die lecto surrexit. Festinata adeò curatio medicum inprimis stupore affecit, qui eò tàm bene, ac tàm citò pertingere artis consilia, aut naturæ vim potuisse, omninò negabat: ac se quidem paratum aiebat, quoties vellent, signatis tabulis testari, id nisi diuinitùs, contingere minimè potuisse.

Pergimus, & quæ externo aliquo amuleto propulsata sunt corporis incommoda, consignanda nunc literis veniunt. Ac primò quidem offert se se dirum morbi genus, mirè curatum. Ioseph Ferrignus aqua subter cutem fusa laborabat; eamque ad crassitudinem excreuerat, vt palmos omninò nouem æquaret ambitu suo cinctus. Defatigatis medicorũ curis, mersusque non tàm morbosis ijs aquis, quàm mœrore, sensuque animi, id sibi reliquum intelligebat, opperiri fatum, quod propè aberat. Inter hæc allatum illi nescio quid lintei. Olympii sanguine respersi, spem salutis facit. Ergo inter preces, ac vota fiduciæ, ac spei plenus vmbilico admouet. Inde corporis quidam motus: tùm ab eodem ipso vmbi- Hidropsis facenit

lico exundare ea quidem copia intercutis aqua, vt capacissimas vrnas omninò sex mox impleuerit. Quo sanè exhausta hydropisis, ac restituta incolumitas viro; qui statim ad serui Dei Sepulcrum grates benefico persoluit gratulabundus. Sed hic iterum precari Ferrignus, vt si è re animæ foret, ægrotare, rediret postliminiò morbus. Itaq; intra paucos dies, veluti in maritimo quodam æstu, quæ recesserat intemperies, visa iterum accessisse. Planè vt æquè illi beneficus, atque opportunus Franciscus fuerit, siue profligauerit malum, siue reuocauerit.

Et mirè redit

Eodem morbi genere cõflictata Lucretia Palma; honesto loco puella, eodem præsidio cõualuit. Neapoli in Virginum Collegio, cui à Diuo Eligio nomen morabatur, ac phthisi aliquando corrupta, ita incolumitati restituta est, vt mutata dumtaxat corporis ærumna, abierit in hydropisim: eòque tandem deuenit, vt intra dies non ampliùs sex excessuram è viuis pronuntiauerint medici. Nouerat illa Franciscum Olympium, & quem faciles dare aliorum infortunijs aures, ac opem, circumferebat fama, fore sibi persuasit, vt suis etiam precibus adesset. Hac spe freta, illi se se ex animo commendat: tùm matrem, cui Terentiæ Sparanæ nomen, rogat, vt quando Serui Dei lipsana adeò valerent, curaret & ipsa aliquid eiusmodi, quo morbum depelleret, aut leuaret. Matri nulla quidem cum nostris familiaritas; sed sperare iussit in filiam amor. Itaq; recta ad Sanctorum Apostolorum; ac fortè Cornelium à Lama, Sacerdotem ex nostris obuiũ habuit, qui affectum, sensumque matris æquè, ac filiæ valetudinem commiseratus, frustulum illi dedit eius interulæ, cum qua Dei Seruus animam efflauerat, ac nescio quid

Ab eodẽ morbo cõualescit Palma.

etiam

etiam capillorũ, ſimulque animos, atque impetrandi ſpem fecit. His illa acceptis, filiæ attulit, admonuitque; ac nulla mora, quam non ebiberat, aquam euomere extemplò cœpit: tùm qui in vmbilico teterrimus excreuerat tumor, euanuit; & cum eo morbus.

Ioannæ Florellæ perindè ſalutaris eiuſmodi lacinia. Nocte, quam ipſa naſcentis Deiparæ ſolemnia excipiunt, viſum ſibi à capite per nares ad ſuperius labrum neſcio quid deſcendere; perinde quaſi exiguum aliquod animal per eas ſe ſe partes moliretur. Experrecta ipſa horrore quodam, domeſticos etiam excitat: qui, explorata cominùs re, aduertunt, capitis fluxionem reuerà eſſe, ex qua ita affici, atque excreſcere labrum cœpit, at ab eo mox tumor ad quandam oui magnitudinem, ſaxo durior penderet. Sed neque hic ſiſtere viſa intemperies. Corrupto ſiquidem mirum in modum labro, eo deinde impetu ad collum, ac guttur deflexit, vt intercluſo penè ſpiritu ducere animam vix poſſet. In re ſubita, ac nocte intempeſta nullus conſilio, ac remedio locus. Subiit Olympius, ac ſepoſita religionis ergo quædam linteæ veſtis lacinia, eius ſanguine reſperſa; ac rata, ſatis inde præſidij, ac opis ſibi eſſe, iubet illam adhiberi morbo. Nihil profectò illa ſalubrius. Momento prohibitus capitis fluxus: deforme perindè, ac enorme labrum detumuit: demum incolumi gutture, reſtituta interſpiratio. Et mane quidem adfuit ipſamet Sanctorum Apoſtolorum templo, libatiſque diuinis myſterijs, gratias Franciſco, aduoluta ad eius tumulum, habuit. *Lintei fruſtulum ſalutare Florellæ.*

Florellæ addimus Florillum. Franciſco huic nomen, qui præcipiti eo morbi genere, quem chole-

Et Florillo. ram medici vocant, laborare periculosissimè, atque ad extremum vsque spiritum solitus erat. Eo semel peracerbè afflictatum, adijt noster Gabriel Maria Lotharingius, ac bono esse animo iussit: attulisse nempè se, ait, linteum, quo in eiusmodi doloribus vti, fouerique Franciscus Olympius consueuerat. Arrigeret ipse animum, ac spem; prona semper ad Serui sui promerita Numinis beneficentia. Igitur admotum lateri linteum eo euentu, ac fructu; vt & tùm quidem facessiuerit omninò dolor: nec ausus postea fuerit, repetita clade, Florillum ampliùs decutere.

Illud ex fide Isabellæ Moles, Matronæ Neapolitanæ, quod etiam in eius domo nulli non abundè compertum. Seruus huic erat, cui nomen Ioannes Leonius, à fide, ac vetere stipendio heræ carus. Cruenta is olim excreauerat; quod morbi genus ita vicerat, vt die Martii mensis septima, & vigesima eius anni, quo ad meliores abiit Franciscus, vberiore fluxu, ac vi redierit; perdurauitque ad alterum vsque Aprilis diem largior expuitio, exhausto penitùs corpore, ereptaque ipsa oris specie, ac vocis vsu. Famuli salus curæ Isabellæ erat; & quando medicæ artis adiumenta minimè procederent, experiri diuina statuit. Ergo, erecto in spem ægro, quod in pretio habebat Francisci Sudariolum, eius pectori admouet, eodemque in vestigio temporis cohibitus cruor, profligatumque malum est, restituta oris specie, ac bona corporis habitudine.

Sanguis mire sistitur.

At enim quod Neapoli item accidit ad eam oram maritimam, quam à D. Lucia nuncupant, nescio, an quid patrari mirabilius potuerit. Biennis puer è muro, qui littori imminet, capite inuerso decidit.

Planè

Planè quod ex alto casus, & allidi ad saxum eius oeui puerum contigit, conclamatum illi fuit; ac nemo non exanimem credidit, quem cruentatum, ac sensus omnis expertem cernerent. Matris lamenta audiit, quæ propè habitabat, Maria Cacacciola Rocchę Dux, ac lachrymas, clademque commiserata, lintei frustrulum, quod Olympio ægrotante, ad cordis fomenta adhibitum olim fuerat, illi misit. Præsidium nempè id fore præsentissimum, modò fidem excitaret, commendaretque Serui Dei patrocinio sobolem. Se quoque eius vim mirè expertam; ac ceruicem, contentis rigore quodam neruis, aliquando immobilem, eius ope lacinię repentè emolliri, ac flecti visam. Mater, concepta ingenti fiducia, linteum pueri capiti illicò applicuit: nec spem fefellit euentus. Nam quem extinctum putabant, rediјt mox vitæ officijs, moueri, loqui, ac postera luce cum pueris ludere.

Puero exanimi prę sidium.

Iam, & cęteram Francisci suppellectilem perutilem, ac salutarem mortalibus, scimus. Et quidem Capuæ eius extat pileus, à triumphatis plerisque morbis percelebris. Vincentius Casellius, vti alibi commemoratum est, dum faceret ille ad aram, pio quodam furto surripuit: vsus deinde rapina ad aliorum commoda. Enimuerò præter multiplicem ærumnam, quam Dei Seruo adhuc superstite, propulsauit; illud eodem ipso anno, quo ille desiit viuere, memoratu dignum. Aprili mense Dominicus Peruta, à Diuo Nicolao, qui est prope Capuam Vicus, vsque adeò periculosè ægrotauit, vt desperauerint saluti medici. Allatum id Casellio, & quòd eo familiariter vteretur, officii duxit, inuisere; secumque Francisci pileum attulit, fore sperans, vt prodes-

Pileus Capuæ salutaris.

deesset amico amuletum, ac pietas. Nec suã illum lusit opinio, ac spes. Pileum capiti, tùm pectori apposuit, ac mox cuius iam membra obriguerant, incalescere: qui iam obmutuerat, loqui: quieti aliquantisper indulgere: post quietem vigor, ac sensus omninò vegeti; nec post multò incolumitas, ac tributa proindè Olympij patrocinio.

Surdæ auri capillo consulitur.

Capillum, quod in homine leuissimum, honestare sua etiam laude diuinum Numen voluit: id quod in Euangelio promiserat in ea verba: Capillus de capite vestro non peribit. Et verò Michaelem Muscum, virum ex nostratibus à pietate, ac rerum asceticarum scriptione apprimè commendatum, non mediocri affectum beneficio istiusmodi adiumento, luculento eiusdem testimonio, pro comperto habemus. Obsurduerat is, quo sanè nihil molestius cùm ipsimet, tùm alijs, qui verba iterare surdo, atque eadem sæpiùs ingerere noluissent. Quosdam penes se esse Viri Dei capillos, meminit; putauitque, eundem ipsum, qui facturum magna, ac præclara promisit ad eorum preces, quibus tantùm inesset fidei, quantum granum sinapis; fore etiam, vt eadem ijs indulgeret, quorum fides capillo niteretur. Igitur ad pronas Francisci aures, pro surdis auribus vota primùm allegat: capillos deindè vitiato, affectoque sensui appellit: agnouitque extemplò, excepisse illum preces, quando & ipse, amoto iam obice, admitteret quàm expeditissimè loquentium voces. Planè, nullum ex se quidem vel aureis capillis pretium: at illi verè pretiosi, & aurei, qui aures restituunt.

Faustina Anastasia Neapolitana eadē ope morbum depulit, longè molestissimum. Nouem omninò

uò menses ægrotauerat; ac visa, curationē desperasse, quòd æquè occultum, ac contumax morbi genus lateret medicos: quos tandem vbi cōmutauit, conualuit. Enimuerò cùm ablegatis medicinæ artis studijs, adhibere diuturnæ ægritudini Francisci capillos, secum ipsa decreuisset, veluti suum malo remedium excogitasset, restituta saluti est.

Æquè salutares exaratæ Serui Dei manu literæ, quandam sibi inesse vim, adpressam videlicet, ab ea dextera, non semel commonstrarunt. Et quidem anno huius seculi sextodecimo Octobri mense tentari intimo, ac peracerbo quodam dolore dexteram Violantis Viualdæ aurem contigit: & quòd malum cumulauerat febris, nulla neque die, neque noctu fœminæ quies, quæsitis etiam frustra remedijs. Morabatur hæc in Neapolitano mulierum Collegio, cui à Paparis nomen, vbi & Zenobia Seripanda agebat, quæ acceptas aliquando ab Olympio literas, opportunissimas ægrotanti fore, dum putat, affert, admouet. Nec multis: defuncta simul dolore, ac febri Viualda est, testata deindè autographo rem. Ab huiusmodi etiam literis Catharinæ Belzantiæ Passerinæ irrigatum largè pectus. Nam cùm exsiccata penitùs vbera infantem alere nequirent, admota ijs autographa Francisci cartula, visa illicò vtraque ea vrna lacte exuberare. Ab his item alia, quibus supersedimus. Literis inest sua vis.

Iam, quædam ab Olympij attactu vim concepisse admirādam aduersùs calamitates, ac infortunia, in tempore commostrarunt. Bartholomæus Alexander Neapolitanus, ardentioris cuiusdam indolis, ac pietatis iuuenis, ex ijs fuit, qui Francisco supremò ægrotante, ad illum per summam conten-

tio-

tionem, obnitentibus licet Patribus, penetrarunt, vt viserent. Osculari morientis manus non sat illi fuit; verùm id etiam raptim, ac dissimulanter curauit, vt precarii globuli illas tangerent, ratus haud quidem ex vano, aliquid iis addi religionis ab eo tactu. Accidit porrò, vt eodem ipso Februario mense, quo Dei Seruus excessit, correptus is fuerit lethali febri, quæ & popularem illam gutturis luem, quæ tàm dirè, diùque grassata Neapoli est, secum attulit. Morbis hisce difficillimis stratus Iuuenis, breui supremis admotus: vt Eucharistico Viatico refectus, sacro etiam inunctus oleo ritè fuerit. Interea Virgineum illud sertum, quod Olympii manus tetigerat, in mentem venit. Neque mora: faucibus extrinsecùs admouet: statimque visa pestis, ac virus erumpere: quo quidem leuatus non minimùm Alexander, somno se dedit. Dum quiescit, videre sibi visus est Franciscum Theatino habitu, apertoque capite, qui diceret: *Fide Deo: neque irritæ fuerint* meæ preces: his te si commendaueris, conualesces. Ergo experrectus, supernè se monitum credidit; atque adeò congeminare ex animo vota, ac Serui Dei nomen implorare. Exinde afflatus corpori vigor, salutis index, ac nuntius: atque intra triduum profligata penitùs febri, fauces etiam restitutæ. Adiit mox Sanctorum Apostolorum templum, libatisque diuinis mysteriis, ad Francisci sepulcrum habuit auctori gratias.

Guttur mirè curatur.

Infesta quidem hominum corporibus tot naturæ incommoda, in quibus versati hactenus sumus. Sed nescio, an aliquod iis tormentum maius, quàm malis geniis diuexari. Hi supra omnem luem, ac morbum: hi malorum plaustra, ac Ilias: stationem omni-

omnigenis infortunijs miſcent, quam tenent. Planè, qui infenſus adeò infernis hoſtibus fuit Franciſcus, dum viueret; viſus etiam è tumulo illos exagitaſſe. Vnum hic referam, quod non ita poſt multò, quàm ille functus vita eſt, accidit, teſtatum vulgi ſermonibus, relatumque poſtea Neapolitana in acta. Hieronymam Formatam, in Ioannis Baptiſtæ Criſpini domo famulam, inſederant diriſſimi dæmones omninò quatuor, aderatque ſuum cuique ſatellitium, perindè nequam. Fœmina nihil infelicius ab efferata ea lictorum manu: & facere, & pati dira: ſe, atque alios morſu impetere: intendi à legitimis euocationibus, ſacriſque diris furor: planè vt oſtenderet, quæ lateret intus peſtis, flexus ad omnem improbitatem, ac ſæuitiam oris habitus. Semel poſt pleraq; Diuorũ lipſana impoſitus capiti Olympij pileolus: hic illa impotentiùs indignari, atque inclamare, vt luem illam amouerent. Interrogata: ècquænam eſſet lues illa? Hic eſt, inquit, Franciſci Olympij pileolus, qui me vehementer diſcruciat: cumq; pergerent ſacrorum vi carminum illos exagitare; deturbatus ſua ab ſtatione ex iis vnus; & cum eo ſua legio: qui quidem erumpens, ea inuitus pronuntiauit: è quatuor alterum in D. Nicolai eccleſia, quæ propè aberat, exceſſurum: ita nempè Olympium velle, qui Diuo illi olim addictiſſimus. Ergo expulſus: ac tùm quidem tertius, euaſurum ſe etiam dixit, ſed in Sacello, vbi Marianus Conceptus colitur, quod ſuperſtes Franciſcus adeò celebrauit: idque poſtquam ter eiuſdem Deiparæ Virginis coronam pecurrerint. Ventum ad locum, cœptæque recitari condictæ preces; quas dum tertiò repetunt,

Hieronyma Formata a dæmonibus occupata

In libertatem aſſeritur.

ceu venientem Olympium ipsum cerneret arreptitia: Me miseram, inquit, en Senex, qui abire iubet: cessitque tandem loco, qui eius ore loquebatur suis cum satellitibus malus dęmon. Postrema restabat palæstra, ac labor. Sed is etiam hostis facili negotio dedit manus: coactusque est vulgare ipsemet, id iussisse Olympium: nempè, vt ad diem Marianæ Visitationi sacram eodem in Sacello, eodemque in Diuæ Virginis conspectu obsidionem solueret. Ea luce affulgente, sistitur in Sanctorum Apostolorum templo occupata dæmone mulier: statimque visa illi vocem audire, quę disertè diceret: Nunc expellam: ac tùm quidem rebellis ipse genius altè vociferari. Iste me Senex suo hinc baculo deturbat. Id quod ter repetens, erupit indignabundus, incolumi, ac restituta libertati fœmina: Olympio nimirum, hoc est, sanctiori Herculi obnoxia, qui tot ab ea monstra depulerat.

Quæ hactenus commemorauimus, Neapoli fermè, aut non ita longiùs edita. Peregrinari nunc tantisper stylo liceat, atque Olympii patrocinio collata alibi locorum beneficia recensere. Gliscere siquidem per reliquam Italiam Viri Dei fama, ac religio statim à morte visa est: & quòd eius se se tutelæ plerique commendarent. non sine præsenti fructu eorum studium, ac fides fuit. Arimini per literas, de quibus modò loquuti sumus, collata non vni salus. Sacrarum Deo Virginum Asceterium in ea Vrbe est, cui à D Matthęo nomen. Præerat hic Bernardina Banda, cui à multiplici morbo attritæ corporis vires, ac deplorata iam salus. Experta diù medicorū curas, cùm frustra esse omnia, agnouisset, ap-

Arimini à literis incolumitas

appellare Olympium, constituit, quem Neapoli non ita pridem depositum, inaudiuerat ab insigni vitæ sanctimonia, atque à patratis miris celebrari. Itaq; nacta eius epistolam, inter preces, ac vota capiti applicuit: ac visa profectò illa, non tàm epistola, quàm medica quædam præscriptio, ex qua mox valetudinem instaurauit. Et vt mouent, eriguntque exempla; eodem in Gynæcèo nouitia quædam virgo, quę dirè à stomacho laborabat, ab iisdem literis præsidium dum quærit, haud diù cunctari contigit. Extemplò siquidem vis illa peracerbi doloris remisit, euanuitque mox languor prorsùs omnis. Sicuti & Iulianæ eiusdem Collegii Virgini accidit. Cum enim vehementissimus illam capitis dolor excruciaret, manante affatim è naribus sanguine, qui sisti nulla vi poterat, eædem literæ præsidio fuere: dolore momento dispulso, ac sanguinis vena stare iussa.

Hæ porrò literæ penes Gineuram, nobilem fœminam Arimini erant, quas illa opportunè, vt aliorum pietati, ac postulatis faceret satis, huc, illuc mittebat. Atque id semel accidit, quod non dissimulauerim. Vir quidam nobilis morbo implicitus, eas à Gineura deuotionis ergo postulauit, quę famulæ, cui nomen Lucia, ferendas dedit, monuitq; literas eas esse celebrioris virtutis, ac notæ viri, quæ non vno beneficio inclaruerant. Illa, quod nescio quid morbi corruperat caput; vti forte sua, præsentiq; eo remedio constituit, ac dum iret, affecto vertici Epistolam imposuit; eius opem implorans, cuius sanctimoniam Domina commendauerat. Igitur malum, quod esse ex se diuturnum assolet, breui cura-

tum: nec dubium, quin salutares Olympii characteres obliterauerint.

Ferrariæ Baranzoniæ salus.

Ferrariæ nobilem fœminam experiri Francisci præsidium cōtigit. Fuit hæc Lucretia Sfola, Baranzonia, Ioannis Baranzonij, ornatissimi viri coniux. Huius caput is dolor incesserat, ceu multiplex cuspis intimè conuulneraret. Non oculis, non reliquo corpori quies: accessitque mox grauius, ac periculosius à febri incommodum. Aderant medicorum curæ: at Lucretiæ spes, ac tutela certior. Nam Deiparæ quandam effigiem, ex iis nempè, quas distribuere Franciscus solitus erat, afferri iubet, magnaque in Dei Seruum fiducia capiti imponit: neque post multò febris, dolor, atque intemperies ea omnis euanuit. Quod testatum ad rei documentum, signatis tabulis voluit: extatque penes nos earum exemplar.

Grillinzonia sanitati restituitur.

Quando autem Mutinensem fœminam meminimus, libet huic Mutinensem aliam, æquè nobilem matronam adnectere, quę dum Neapoli moraretur, insigni affecta beneficio est. Eleonoræ Grillinzoniæ illi nomen, Ioannis Baptistæ Augustoni, Mutinensis Ducis Neápoli, vt vocant, Residentis coniugi. Huius saluti à continenti, lethalique febri penè desperauerant medici: præsertim, quòd ab incredibili virium dispendio nullus esset pharmaco locus. Iā, quòd celebrari cōmuni plausu Frācisci nomē audiret Eleonora, eius implorare opē constituit: tùm aquam, cui mersū nescio quid Serui Dei vestis fuerat, erecta ingenti quadam spe, bibit: statimque quicquid morbum faceret, quadam vi egerere: & quòd largior in tanta corporis imbecillitate videri egestio ea posset, implorato iterum eius

pa-

patrocinio, epotaque eadem aqua, attemperata viribus curatio est: nec post multò restituta sanitati Eleonora. Id quod ex fide nostri Hieronymi Copulæ, eius à confessionibus, qui decumbenti aderat, habuimus.

Placētiæ, quò pridem Francisci fama peruenerat, accensa ad eius studium ipsa Parmensi Principe Aldobrandina, vti supra monuimus, non defuere eiusdem patrocinij argumenta. Aloysius Gazzius, Sacerdos ex nostris Placentinus baculum Neapoli attulerat, qui vsui Olympio fuerat, inscriptis eiusdem manu pijs notis, insignis: habebatque is ipse in pretio, vtpote quid opportunissimum omnigenis corporis iniurijs depellendis. Illud præsertim ab eo extitit notatu dignum. Comitissa Paula Lomellina Toccula lethali morbo intercepta, eò tandem deuenerat, vt haud procul abesse fatum, medici denunciarent. Periculosè adeò ægrotanti aderat Gazzius, eius à confessionibus, qui nihil spei reliquum esse, quamuis probè intelligeret; experiri nihilominùs Francisci opem, ac baculum voluit. Ergo, erecta in spem salutis Comitissa; adesse, inquit, longè præsentissimum, ac petitum cœlo remedium: tantùm Deo fideret, ac Serui Dei precibus: hisque dictis, ægrotam baculo tetigit: confestimque ita restitui vires cœpere, vt mox, abacta lue, moribunda omninò conualuerit, perculsis stupore medicis, quorum ea fuit sententia, id morbi nonnisi allata cælitùs ope propulsari potuisse. Perscripsit hæc postea ad Franciscum Boluitum summa fide Gazzius: qui & alteram eiusmodi curationem sic narrat. Ab assidua febri Comitissa Claudia Anguissola, Ranucii

Placentię à baculo incolumitas.

Et ab effigie. Comitis coniux ægrotauit: & quòd ſeptimum iam menſem vterum geſtaret, febrem deliquia cumulabant. Plenus aleæ is erat morbus. At enim cùm non ita pridem deceſſiſſet Olympius, ac ferri multorum ſermonibus pretioſam eam mortem, contingeret, concepta in ipſum pietate Comitiſſa, eius imaginem enixè efflagitauit; intimè commonefacta, vt bene ſperaret. Ergo allatam effigiem deuenerata eximio quodam ſtudio, ac fiducia eſt; excepitque illico religionem incolumitas. Nam quæ valeſcere impetu videbatur febris, in ipſo ſuo æſtu deferbuit; mox penitùs reſtincta. Quod cùm ægra ipſa, tùm familiares Olympii tutelę adſcripſere.

Mediolani Criuellæ reſtituitur vox. Mediolani quicquid impertitum beneficiorum eius ope ſanguinis fuit, in loco retulimus. Alia nunc perſtringimus: viſa namque Mediolanenſium fides pleraque hoc patrocinio impetraſſe. Illud vulgò compertum, ac celebratiſſimum, quod anno huius ſeculi quadrageſimo primo, exeunte Maio menſe accidit. Clara Criuella, corruptis faucibus, vocis vſum penitùs amiſerat; tenueratque octo iam annos ærumna, luſis medicorum ingeniis, qui reſtitui naturæ, aut artis pręſidiis vocem poſſe, prorsùs negabant. Implorare cæleſtem opem, interprete Franciſco Olympio, conſtituit Criuella: nec fruſtrata ſua ſpe eſt. Fuſa namque ad eius imaginem prece, conceptoque voto, rediit vox gutturi, reſtitutis mirè faucibus: qua quidem voce beneficium deprædicandi finem nullum fecit: tabulamque, voti, ac religionis indicem appendi priuatim voluit.

In diſcrimine ſummo rerum, hoc eſt, in ipſo

vitæ

vitæ confinio eandem hanc opem, eodemque anno sensit Catharina Fagnana, tredecennis Virgo, quam ineluctabilis quidam morbus ita prostrauerat, vt defectam viribus, ac sensibus, extremo penè spiritu laborantem medici destituerint. Experta Francisci virtutem, quam modò diximus, Criuella, eius effigiem moribundæ affert, pectori admouet, signat cruce. Nec multis: intra horam excussit morbum, atque imminens fatum Virgo, dedicato ad rei documentum voto.

Et Fagnanę salus.

Et Dominico Bassolo.

Sub id etiam tempus nihil Dominico Bassolo à corporis incommodis ærumnosius. Septuagenario iam maior, annos omninò viginti à febri laborauerat. Caput prętерea peracris dolor vrgebat. A capite verò nulla non manabat in membra lues, vt lacertos mouere, aut moliri se nulla ex parte posset. Allatum à nostris Olympii indusium incredibili pietate, animique fiducia excepit, adpressitque corpori. Neque mora: visus tùm quidem multiplex malum, ac penè senium ipsum ablegasse. Nec sine memoris animi argumento salus hæc fuit, dedicata ad rei monumentum tabella. Coniux huic erat, cui nomen Lucia Sala, quam non clementiùs habebant morbi. Nam à fluxu sanguinis sex omninò annos laborauerat. Laterum deinde dolor eo interdum impetu discruciabat, vt admoueri iam supremis crederet. Ergo dum certas ad Olympii imaginem preces vouet, quicquid ærũnarum perpessa diù erat, abiisse, gratulata mox est. Innumera penè alia recensenda hic essent, quæ Placidus noster Pallauicinus, datis ad Boluitum Neapolim literis, summa fide narrat: qui neq; in Mediolanensi

Et Luciæ salæ.

nensi duntaxat Ciuitate, sed per eam etiam Ditionem collata ad piorũ preces, atque implorato Francisci Olympii nomine, beneficia, affirmat: Soncini præsertim in Dei Seruum pietatem, præsentis nempè præsidii experientia, vsque adeò excreuisse, vt plerique deuotionis ergo Frãcisci Olympii nomen filiis imposuerint. Sed libasse hæc suffecerint.



Externa Olympii species.

Cap. XXV.



VLTVS, ac cœteri corporis figuram lineamentis exprimere, nihil fermè ad virtutem, earumque opinionem refert. Nam quid cum animi forma, atque idea mentis, quam indoles, ac mores formant, oris habitus, aut color? Ad hæc, quæ sub aspectum cadit hominum effigies, vt mortalis, ac fluxa, ita mendax interdum est. Vsu namque didicimus, magnæ animæ non semper respondere frontis dignitatem, ac decus: cùm interim sub liberali specie lateat non rarò mens dispar. Attamen, quòd non mediocri voluptati est, egregios viros de vultu agnoscere; eorum effigiem, aut coloribus, aut stylo expressam; qui repræsentauerit, non exiguum planè operæ pretium fecerit: vix enim fieri potest, vt sine præclaro animi sensu eius imago vsurpetur, cuius insignem virtutem iam noueris. Igitur, Olympium, ne desit hic excellentis Viri simulacrum, velut in tabula, spectandum damus. Statura illi infrà mediocrem: corporis verò forma ita non gracilis, vt quadratæ propior videri posset, robusta, ac habilis, non obesa. Vultus ad rotunditatem vergens: color in eo, qui melancholicis familiaris; ex albo, videlicet, æneus. Capillus vel in profunda senectute non totus incanuit: in reliqua verò ætate niger. Frons, lineis perindè conspicuis, ac rectis, ad quandam ingenui-

tatem aperta, quam latiùs explicabat ad extrema duntaxat caluitium. Nigris oculis, neque magnis incredibilis inerat suauitas, ac pietas: hos ducta eleganter supercilia, densis, ac raris media, cohonestabant. Nasus non incuruus, non breuis, sed pulchrè descriptus, ac vultui ex æquo, aptèque respondens. Auris mediocris, barba breuior, manus aliquantò crassior. Ipsa deinde oris gratia tanta in eo erat, quantam nullus equauerit stylus: certare in eo hilaritas, comitas, sanctitas videbatur. Quis esset, species ipsa indicabat: planè vt illum ab aspectu duntaxat plerique agnouerint: & aut Olympium, aut illi persimilem existimauerint. Ridere nunquam, aut raro visus, vt alibi significauimus. Si uerò frontem ad lætitiam exporrigeret, mirum est, quæ tùm exhilarandis, erigendisq; animis inesset illi vis. Denique acclinauerat illum non nihil senium, quod baculo sustentabat.

Atque hic exterior Olympius breui ductu delineatus. Nam interiorem, partim iam descripsimus, partim sequenti libro virtutes ipsæ ad virum expriment.

Finis Libri Primi.

FRAN.




FRANCISCI OLYMPII VITA.

Liber Secundus.

De Charitate in Deum.

Cap. I.



ROSEQVVTI Francisci Olympij vitam, eiusque quoad fieri potuit, ordinem, ac rerum gestarum seriem; alterum hunc librum virtutibus sepoſuimus, easq; aggredimur explicandas. Denarrauimus quidem hactenùs pleraque eius facta, dictaque, quæ nonnisi documenta virtutum: verùm in continenti rerum scriptione multa ita nullum sibi locum vendicant, vt peculiarem deindè historiam adornare necesse sit, in qua sua cuique virtuti exempla tribuantur; atque interim non ea omitti contingat, quæ apparere, censerique, nonnisi suis sub signis queunt. Iam, quem potissimùm ordinem in

multiplici hac veluti sylua deligeret stylus, haud magnoperè laborandum illi fuit. Nam quæ digni, tate, vi, fructu maior est in prænobili virtutum familia, principem sibi locum iure postulat: obiicitque se se statim Charitas, momentum, pretium, ac veluti vita cæterarum. Ita siquidem suo eas spiritu implet, ac animat, vt tùm demum sua constet virtuti ratio, cùm affusa intimè charitas illam imbuit, ac format. Cœterùm, vbi vigor hic igneus destituit, imago quædam, aut exuuium exhaustæ virtututis fuerit, non virtus. Igitur, cùm geminis instructa alis igneis charitas hinc ad Deum euolet, ac suo illum sinu cōplectatur, hinc in mortalium se se cōmoda effundat, vtramque hanc eius indolem egregiè miscuit Olympius: ac simul ferri incitatissimo quodam volatu ad Deum, simul descendere incredibili quodam studio ad proximorum salutem videbatur. Quæ cùm expedienda in præsentiarum mihi sint, dicendum priùs de amore in Deum.

Virtutum anima charitas.

Planè, amico non vtcumque placere, sed ea maximè velle, ac nauare, quæ illi gratissima, hoc demum præcipui cuiusdam amoris argumentum. Et Francisco quidem id in primis propositum, ita bonis insistere, vt optima semper deligeret: hoc est, quæ gratiora diuino Numini nouisset. Semel de præclaro quodam opere aggrediendo deliberādum illi fuit: & quòd animi dubius, non satis, intelligeret, quid melius, quid gratius Deo foret; rem vt suis momentis expenderet, ac studiosè versaret, geminam noctem traduxit insomnem: nempè vt per eas tenebras affulgeret menti diuina lux, quæ optimum ostenderet: nauaretq; ipse interim nō vtcumque bonum, sed quod esset ad Dei gloriam, hono-

Olympij in optimis deligendis studiū

rem.

remque præstantissimum. Illud etiam non leue quidem diuini amoris indicium, quòd quicquid rerum humanarum in pretiosissimis, ac iucundissimis habetur, opes illæ fuerint, deliciæ, dignitatis splendor, fastus incredibili quadam animi nausea auersaretur: vt diceret aliquando: proh quantùm sordent mihi omnia, in quibus non est Deus. Scilicet, vt eorum isthæc animos vehementer capiunt, quibus nullus æternorum sensus, ac amor: ita quibus diuina semel species, forma, bonitas mentem occupauit, incenditque; in eorum cordibus arescere mundum, & quicquid in eo florentissimum, ac splendidum videtur, necesse est. Quocirca cùm summè fastidiret præsentia Dei Seruus, summè Deum diligere oportebat. Id quod vt pro modo ipsemet explicaret, ea semel ingenuè pronuntiauit: Se quidem vsque adeò amare Deum, vt iam videretur sibi, illum non ampliùs timere: planè congruenter hæc Apostoli sententiæ, cuius ea verba: Perfecta charitas foras mittit timorem. Vnus illi timor, ne quem adeò diligeret, mortalium noxæ offenderent. Nihil accidere eius auribus molestius, atque infestius poterat, quàm perpetrari crimina: adeò vt ad ipsum peccati nomen expallesceret: idque curandum Patribus erat, vt qui ipsum ad animorum documenta, ac monita conuenirent, cauerent maximè à peccati nomenclatione, ac vocabulo: ne plus nimio animũ exulceraret infausta illi vox: quæ si casu deinde excidisset; veluti horribile visu monstrum offendisset, inclamare illicò Iesu nomen, atque horrore quodam ea statim addere: nunquam, nunquã. Id illi accidit cum principe matrona Neapolitana, cuius domum semel adijt, vt decumbentem lecto

Mundi contemptus à Dei amore.

Ad peccati nomen consternatur.

Mar-

Marchionem filium inuiseret. Florentissimus is quidem Iuuenis; sed qui profanis amoribus implicitus, iuuentam, genus, indolem inquinauerat. Commendare proindè illum Mater Viri Dei precibus: vitæ dehonestamenta, morum labem, Dei offensam inculcare; vtpote quæ corrigi ad frugem Marchionem vellet. Hausit vix auribus culparum hæc portenta, ac luem Olympius, cum repentè mutato vultu, linqui animo, consternari, percelli intimè visus est, ac digredi statim oportuit: adeò vt interrogatus mox, quid sibi insoliti accidisset, verba minimè suppeterent, atque attonito similis horrorem silentio testaretur. Scilicet, delicatior est indoles charitatis: illi si culpam, si culpæ nomen obieceris, exanimasti. Ab hoc in Dei offensam odio ea Francisci vox, digna cedro, aut adamante: Se quidem si dato sanguine, ac vita impedire vel minimũ aliquod crimen, venialemque noxam potuisset, factum vltrò, atque indubitanter subiturum. *Illud* aliàs ab insigni charitate dictum: Si pro expiando aliquo crimine mori semel contigisset; ac rediuiuus postea spiritum resumeret, vt iterum, ac tertiò, ac sepiùs diem obiret, quoad repetita millies morte, singulas cùm suas, tùm aliorum noxas persolueret; nihil sibi iucundius, ac gratius fore. Sanè nonnisi insigniter amantis dicta hæc, cui proprium ad piacula perhorrescere, ac nihil metuere magis, quàm ne lædi amantissimum Numen contingat.

Eius dictum.

Neque verò timorem hic illum loquimur, cui seruile ingenium, & qui vindicem Dei manum, atq; intentantẽ flagella Nemesim timet, si peccet. Aberat hic à Francisco degenerum animarum timor, ac sanctiùs formidabat: metu, scilicet, qui diuini ipsius

amo-

amoris collactaneus, atque adeò similis, vt distingui inter se se vultus, indoles, actus minùs possint. Enimuerò eo quidem affectu, sensuque diuinam offensam metuebat, vt diceres amare; sic amabat, vt diceres, timere. Hinc illi, quos aliàs meminimus animi morsus, ac scrupuli, quibus intimè angebatur. Acerrimi hi quidem, habebantq; illum anxium semper, ac pauidum. Adire alienis interdum horis confessarios: ad eorum pedes accidere; medicinam pectori efflagitare; abire in suspiria, ac lacrymas: eòque tandem deuenit, vt oportuerit, viros doctissimos, æquè ac prudentissimos, vt eiusmodi stimulos lenirent, laxarentque aliquantisper eius animum, quædam illi rerum capita præscribere, quæ commentariolo excepta, vnà secum circumferebat: ac dicere confessariis solitus erat, extremo iudicij die ea se producturum in medium tuendæ suæ causæ. Timor is quidem erat, ne vel minimùm à Deo deflecteret; ac nemo profectò dubitauerit, à diuini amoris pharetra ea tela existere, quæ Dei Seruum, quò acrius vulnerabant, eò vehementiùs incendebant. Dei Timor, Ab amore Dei.

Huius verò incendij & alia in eo argumenta. Loqui de Deo, ardere subito quodam igne erat. inflammari siquidem ora videbantur, ac testari vultu, quæ intùs lateret flamma. Lachrymæ itidem nunquam sine igne exstillant; gaudetque vicissim irrorari fletu charitas, vt maiorem in flammam excrescat. Hæc autem in Olympio lachrymarum perennitas memorata nobis aliàs; atque ab ea copia coniectari ardor facilè potest. Ad hæc, abripi excessu mentis, ac cœlo affigi, charitatis vis est, ac impetus. Sublime siquidem ferri, igni proprium; ac tri-

tum

Mētis ex- cessus

tum illud, animam ibi esse, vbi amat. Sed neque infrequens in Viro flagrātissimo eiusmodi mentis abalienatio, ac volatus; vt commodasse illi alas igneas charitas, videri posset. Id quod cum de eius contemplatione sermo erit, liberaliùs explicabimus. Supremam nunc diuini amoris lineam tangimus: cùm eò, videlicet, inardescit, vt collato cominùs pede, componi, ac congredi cum morte ipsa audeat. Hic profectò Lydius charitatis lapis. Nam maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Inerat magna hæc Francisco indoles; vt disertè non semel significauerit, id sibi maximè in optatis esse, subire pro Christo mortem. Quoties martyrum cruciatus, ac laureas se coram memorarent, statim exerere ipse collum, atque ictui accommodare; ceu tùm quidem excipere securim vellet: planè vt legeres in alacri ea fronte, ac vultu vim quādam animi imperterritam, ac patiendi pro Deo desiderium supra ferrum, ac ignem. Ac semel quidem cum ea cogitatione, ac impetu incalesceret, deuoueretque se morti, ea præclaro quodam animi sensu pronuntiauit: Se quidem profundere vitam paratum, non modò si Deus ipse imperasset; verùm si aliquis etiam mortalium, Dei nomine iussisset. Idque aliquando addidit, planè ad delicatioris charitatis gustum: nempè percupere se tùm maximè subire aspera, atque à ferro mortem, cùm minùs ab intima deuotionis flamma animus deflagraret: nempè, vt quod deerat ardori spiritus, suppleret fusus pro Christo cruor.

Moriendi pro Christo votū.

Olym-

Olympij aduersùs proximos charitas.

Cap. II.



QVEMADMODVM modò innuimus, ea est charitas, vt non ita ad Deum euolet, atque in beatissimo eo sinu quiescat, quin ad proximorum simul commoda officijs, curisque suis descendat. Aquilæ, hoc est, alitum generosissimæ persimilem dixeris, quæ dum volatu pernicissimo in cœlum fertur, simul peracri oculorum acie tellurem despectat, vt ad prædam, si quam viderit, deuolet. Atque hæ quidem Olympij partes: accedere Deo propiùs ab eximio amoris studio; tùm cæteros mortales charitatis sinu complecti, eorumq; opportunitatibus omni ope consulere. Perfamiliaris illi ea Pauli sententia: Omnia vestra in charitate fiant. Quæ nimirum virtus illi maximè ad cor, eam potissimùm alijs commendabat. Pectus illi quantæcumque charitatis capax: non loco, non tempore definitus Viri ardor: orare solitus erat pro omni hominum gradu: aderatq; precibus vbique terrarum, ac gentium. Quin etiam nostra hęc tempora pręteruectus, cogitare rerum humanarum vltima videbatur. Enimuerò interrogauit aliquando confessarium, an fundi pro ijs preces possent, qui nondum nati, & qui supremo ruentis mūdi actui essent interfuturi, ne, scilicet, & tot portentis, atque ipso naturæ interitu perculsos, consternari plus nimio, contigisset: & ne Antichristi potissimùm terroribus

Opportunus omnibus ex charitate

conſcientias, ac cordis ſinus introſpiceret: cumque occulta interdum crimina, ac latentes in fundo ſordes euulgaret, mirum, qui animorum motus fierent. Quod quidem lumen à charitatis flamma exiſtere rectè dixeris: & quòd cerneret Deus, alienæ illum ſalutis intimè flagraro, id potiſſimùm indulgebat, vt arcanum pectus penetraret, ac peſtilentiſſimam inde luem extraheret. Hic porrò æternę ſalutis zelus vt ſibi ſupra cæteras curas omnes cordi eſſet, Antonio Toletano, Albæ Duci, Proregi Neapolitano apprimè declarauit. Alloquutus is prolixiùs Olympiū fuerat, remotis arbitris, ad ſui ſpiritus ſolatium. In digreſſu, vt aliquod Viro ſancto piæ munificentię ſpecimen daret, petere aliquid, iuſſit: quod dum iterum, ac tertiò vrget: Hoc oro, ac peto à te, Princeps, inquit ille, vt quando periculoſum adeò tempus mortis, ac tùm maximè fluctuat animæ ſalus, celebranda nùnc aliquot miſſarum ſacra pro ſuprema ea lucta cures. Quod quidem excipi ſine admiratione à Prorege non potuit; qui perſuaſerat ſibi, fore, vt is præſens aliquod commodum, aut conſanguineis, aut aliorum inopię peteret: ac rem poſtea ad eximiæ cuiuſdam virtutis documentum aliis narrauit.

Quamquam, ita animorum negotio eius vacabat charitas, vt quod ad humana adiumenta attinet, non modò non negligeret, ſed impenſiùs accuraret. Commiſerari proinde pauperes, ſolari verbis, fouere pro modo munifica manu. Quòd ſcirent matronę, ac viri nobiles, nihil accidere Olympio iucundius poſſe, quàm aliqua ſibi impertiri, quæ ipſe in ſinum inopiæ deriuaret; ſubmittere identidem eius charitati ſolebant, quod erogaret. Geſtire tùm ipſe, ac *Pauperibus conſulit.*

non tàm pauperibus stipem, quàm sibi effundendæ pietatis opportunitatem gratulari. Æquensem Vicum cùm de more peteret; vix eò aduenisse, euulgabat rumor, cùm accurrere certatim, ac stipare illum veluti parentem publicum pauperes, viderentur. Complecti ipse omnes incredibili studio, ac ceu suam familiam agnoscere: tùm quicquid ijs subleuandis attulerat annonæ, aut vestium, prona manu, proniore animo distribuere: planè vt adesse Olympium, refecta, cooperta, ac veluti exornata inopia demonstraret.

Maior profectò aduersùs ægrotantes charitas, quorum morbis ita affici, afflarique videbatur, vt penè cum infirmis infirmaretur. Innuimus hæc generatim alibi. Iucundum nunc percelebre Insanabilium Nosocomium, quod Neapoli cùm decumbentium numerus, tùm præcipui Viri, ac matronæ, quæ eò conuenire, ac dare ægrotis operam solent, cum primis nobilitant. Huc se frequentiùs conferre Olympius studio quodam incredibili, nec sanè vacuus. Afferre siquidem morborum quædam leuamenta, bellaria, scitamenta, poma solitus erat: quibus affatim instructus ad ea ærumnarum conclauia mirum, qua alacritate pergeret. Et visus aliquando, quòd coctis lateribus fouendo ægrotantium stomacho opus esset, illos ipsemet sinu ferre: gestabatque tùm quidem pectus lateritium, cætera aureus. Iam verò ad decumbentes vbi peruenisset, preces tantisper fundere; tùm insigni ardore animi admouere operi manum: pauimenta verrere, lectos reficere, emundare sordes. Ire huc illuc fulguris in morem, ac discruciari intimè, quod aut diuidi semetipsum, aut adesse simul omnibus religiosus Cē-

In insana bilib. Nosocomio charitas.

tima-

timanus nequiret. Enimuerò dum vni vacaret, vocari se flebilibus modis certatim ab aliis sentiebat: dum que accureret, aliæ aliorum preces inter eundum detinebant. Cum interim ita partiri officia videretur, vt nulli eius ardor, ac sedulitas deeslet. Quas eduliorum blanditias iis recreandis attulerat, non sine solido quodam animorum compendio distribuebat. Nam simul pia quædam illis donariola, Diuorum nempè effigies, ac precarios globulos, quos allatis etiam domo clauis pendere decenter è pariete volebat, largiebatur: addebatq; salutis monita excitandæ, videlicet, in Deum pietati; & vt tristitiam præsertim, doloremq; elicerent de anteactæ vitæ noxis. Et cernebantur passim, quos dum à Francisci manu munuscula exhilararent, iis ab offensæ Dei memoria perpluerent vbertim oculi: quibus, vt conscientiam cueſtigiò eluerent, confessarium illicò admouebat. Illud sanè pulchrum. Ægrotos nunquam alloqui, monere, consolari, nisi de genu: nempè vt externa corporis species, ac habitus ab interiore animi cultu, quo illos prosequeretur; minimè dissentiret. Morborum deindè insolentiam, fœditatem, saniem non modò non exhorrescere, sed vltrò petere. Vaporaria, ac balnea, teterrima, scilicet, excoquendis inquinatissimis corporibus, eorumq; morbis loca, adire ipse alacri fronte: adeò vt extrahendus inde vi esset, ne afflaret hominem noxius vapor. Iam contrectare veluti ad delicias despicatissimorum hominum vlcera, procurare, mederi, exosculari etiam, ac lambere, planè vltra naturæ vim in eo videri potuit. Extant in historiarum monumentis eorum exempla non pauca, qui tabida complecti corpora, ac scatentem inde

Fœda visu non horret.

inde pestem lingere, non dubitarunt. Et de Ioanne quidem Columbino, viro Sanctissimo refert Moriggia, leprosum quendam, suas inter sordes perditè marcidum sustulisse strenuè suis humeris, atque è templo domum curandum asportasse. Diuam item Radegundam ferunt, eiusmodi elephantiacos, ac purulentam eorum faciem exosculari solitam. Illud planè generosiùs, quod de beata Angela Fulginate Fortunatus Episcopus narrat. Lauisse nempè aliquādo suis manibus hominem leprosum: aquā deindè, in qua crustæ pestilentissimæ innatarent, sorbuisse. Quæ quidem ita Franciscus est imitatus, vt illa quodammodò superasse, facilè sibi quisque persuaserit, qui illum in Neapolitano Xenodochio, suo veluti in theatro, viderit.

Et verò quædam de eo narrantur, quorum fœditatem nisi magnam partem depasceret stylus, aures haud facilè admitterent: & ne copia naturæ teneritudinem vincat, vix vnum, aut alterum summo ipse calamo perstringam. Semel inferre cibum cōtigit cuidam ex ægrotantibus, cuius deformis adeò lues vultus corruperat, vt abijsse in monstrum aliquod videri posset. Nullum suo in loco membrum. Nares alterius oculi stationem horridè occupauerāt; oculus tempora. Os illi diffractum, distortumque: facie deindè, pustulis vndique efflorescentibus, nihil vlcerosius. Huic postquam accuratè ministrauit Olympius: Age, inquit, quando meam ego operam pro virili impendi, mercedem, & me reposcere, & te soluere, æquum est. Cui ægrotus: an soluendo me esse putas, cui præter corporis cladem, atque oris lluuiem nihil præterea reliquum? Tum ille: Permitte igitur, vt te pretij nomine exosculer. Nec

Vlcerosum hominem osculatur.

mora:

mora: dum accedit, sensit quidem, natura vehementer abluctante, se nimiùm planè ausum. Sed ne veluti ignauus miles dedisse manus videretur, prolapsus in genua, ac recitata semel Dominica oratione, ac Salutatione angelica, vultus, indolem, animos mirificè incendit, inuolauitq; mox in corruptissima decumbentis ora, quibus oscula omninò quinque decussatim impressit; abiitque summis lætitijs perfusus, ceu rosam, aut lilium delibasset argumentosa apis.

Illud portenti omninò simile in eodem Nosocomio accidit, quod in tractandis pestilentissimis vlceribus generosiores Serui Dei impetus probauit; nec sine operæ pretio fuit, restituta infirmo ab attactu, atque osculo incolumitate. Iacebat in eo morborum contubernio vir quidam, cui patria Nuceria, quam à Paganis appellant, dederatque olim aromatariæ rei operam. Corpus illi à lepra profligatū, ac perditum; vt nulla nō eius pars sanie perplueret. In hunc vbi Franciscus collimasset, suæ potissimùm curę, pietatiq; procurādū delegit. Semel, quòd caput vitiatum vel maximè eo morbo, ac lue cerneret, tōdere illud aggressus: dum id officij pergeret, flueretque vberiore quodam imbre tabes; confessarium, qui præsens aderat, interrogat: An de Christo Domino ea Isaiæ verba dicerentur: Vidimus eum quasi leprosum? eoq; affirmante, amplexari ipse amantissimè elephantiacum in ea verba: ò Deum meum, ò Iesu meum leprosum. Vbi verò totondisset, cùm mercedem posceret: Ecquid, ait ille, pro merito repræsentauerim homo egentissimus, ac summè miser? Hoc, inquit Olympius, confestimque osculatus emarcidum caput, atque ora est. Tùm adducta

lecti

lecti cortina, ne factum lux, atque oculi proderent: admota reliquo corpori lingua, lambere, ac percurrere osculis vlcerosum hominem cœpit, ea sæpiùs repetens; Vidimus eum quasi leprosum. Retulit inde vultum, putri sanguine, ac sanie vsque adeò inquinatum, vt ab eo aspectu linqui animo ex ijs quędam, qui aderant, contigerit. At enim nunquam sine præmio hi magnanimę charitatis impetus; sensitque deplorata infirmi salus medicam statim manum. Nam veluti quid valentioris pharmaci admouisset corpori Franciscus, intra biduum curata omninò cutis, atque elephantiasis est; admirantibus qui insanabilem, fœdumque morbum nouerant. Nec beneficium tacuit, qui accepit, euulgauitque ipsemet insigni grati animi testificatione: tùm ad Sanctorum Apostolorum cœnobium adiit, vt grates benefico suo, hoc est, Francisco haberet, cui acceptam incolumitatem referebat. Illud hic porrò ad luculentius beneficij argumentum nō omittendum. Etenim ab ea morbi contumacia restitutum licet se cerneret sanitati vir ille; quædam nihilominus confirmando magis corpori experiri remedia voluit. Nec multa: ægrotare iterum cœpit, destitutus stomacho, ac viribus, vt nihil metueret vehementiùs, quàm ne relabi in pristinam luem contingeret. Ergo ad Olympium collachrymans: qui illum, impertito ori osculo, intimè complexus, bono esset animo, iussit; sperare tque, quàm primùm fore, vt reualesceret, quod accidit. Iam salutaria eiusmodi oscula, ac medicos linguę attactus de Formoso Sanctissimo Pontifice legimus, qui leprosum itidem deosculando mirè sanauit, commendaturq; omnium literis ab hoc facto Viri sanctimonia.

Elephantiaci curat osculo

Nec

Nec absimilis inclyta, ac persancta Lusitaniæ Regina Elisabetha, quæ horrendum fœminæ vlcus exosculata, ceu quid peregrini, ac præsentissimi balsami ore afflauisset, repentè abrasit.

Quod ipsum curationis genus, si extra Xenodochium efferre gradum placuerit, & aliàs à Francisco extitisse, reperiemus. Procurabat in Sanctorum Apostolorum domo tyronum classem. Cuidam ex ijs enatæ capitis squamulæ, quæ porriginis rudimenta videri poterant: fœdum nempè morbi genus, & quo laborare infimæ sortis pueri solent. Nihil ingenuo adolescenti molestius: angi intimè, ac pro viribus latere, ne malum sodalium oculis, ac se ludibrio exponeret. Igitur quo tempore tyrones alij vnà simul morarentur, cùm is in cellula sese à verecundia, animique ægritudine contineret, ægrè tulit Magister, conuenitque, ac peracerbè increpauit. Tùm ostendi morbum iussit: complexusq; affectu quodam caput, osculo etiam impertiit: quo sanè visus medicum quendam succum, ac remediũ supra naturæ vim adhibuisse: nam facessiuere intra biduum squamulæ, ac morbi vestigia. Quod subijcimus, vitale Francisci osculum maiore quidem cum admiratione commendat. Ioannem Simonem Puluerinum Neapolitanum aliàs appellàuimus. Morbus illi multiplex, à quo lusa medicorum consilia, ac deplorata omninò salus. Phthisi potissimùm laborabat; corruptumque introrsùm pectus, ac peracri tussi quassatum, cruorem, ac saniem excreabat. Accersitus Olympius dum precibus cœlum pulsat, admouetque collo manus, quod moliri diutiùs nequiuerat; visus mirum in modum subleuari æger. Nam & moueri immota diù ceruix, & pera-

Osculo item porriginem curat.

Et vlcus pectoris

cuta minui febris, & feriari à doloribus pectus cœpit. Verùm quòd diuexare adhuc tussis, atque ab interiore vlcere manare purulentus cruor pergeret, iussus redire postera luce Olympius, qui fusis de more precibus: Age, inquit, cruentum vulnus exosculemur, vt mitescat; impressoque pectori osculo, visa mox exsiccari sanguinis vena: abactoque penitùs morbo, æger conualuit.

Sed ab osculo illud sanè memoratu dignum. Ioānem Angelum Barilium, Caiuani Ducem, ac Neapolitani Regni à secretis anno huius seculi tertio, & vigesimo confodi non vno vulnere contigit. Pectus, latus, venter, fœmur ferrum profundè admiserant: accessitque medicorum laniena: nam incidi ipsa vulnera nouis vulneribus oportuit, vt medentium curis paterent latiùs. Affinis Caiuano Olympius: adiitque quo tempore tractarent, ac mederentur medici vulnera. Inspicere ea voluit; tùm quod periculosius ex ijs, ac lethalius, inter preces cruce signauit, admotoque ore, exosculatus illud est. Neque mora: qui vsque dum motus omninò expers, moueri, ac fessum mutare latus nequiuerat, visus euestigiò se moliri: adeò vt cum discessit Olympius, surgens, lectoque insidens, abeuntis manū ad osculum prensauerit. Nulla deinde insequuta de more febris; nullus dolor: nec post multò conualuit. Quod in re penè deplorata Serui Dei precibus tributum. Et ipsemet Caiuanus, obsignatis tabulis, testatum ex fide voluit ad Dei gloriam.

Et vulnera Caiuani Duci.

Eodem hoc anno eiusdem vir nominis, itidem sauciatus, atque impertito itidem osculo, conualuit. Fuit is Ioannes Angelus Carrara, Neapolitanus, Apostolicus, vt aiunt, Commissarius, qui vul-

nus

nus à summa ad imam vsque linguam, interciso etiam superiore labro, accepit planè luculentum, quod illicò insanabile primi nominis medici pronunciarunt. Ablato penitùs linguæ vsu, nihil proferre verborum poterat, ac nisi de scripto, significare quæ vellet, nequibat. Aliquot post diebus dum inuisit illum Olympius, in ipso cubiculi aditu intonat: Domine labia mea aperies: ad quæ conceptissimis planè verbis illicò ægrotus respondit: Et os meum annuntiabit laudem tuam: prosequutus ad finem vsque reliquum psalmum, addiditque ter Alleluia, ipsomet Olympio præeunte: qui deinde, facto gradu, cùm ori, tùm gutturi osculum libauit, recitauitque mox Dei Matris litanias, respondente ad singula Carrara quàm expeditissimè, ceu nihil inesset linguæ impedimenti, ac morbi. Aderant admirabundi non pauci: nec post multò adiere medici, qui, quòd is pergeret psalmum recitare, id in primis interdixere, ne loqueretur; veriti, ne irritato eo motu vulnere, ac manante largiùs sanguine, festinari fatum contigisset. At Olympius submissa voce: Sinite, inquit, nam voluntas Dei est. Igitur, eò adducta res est, vt intra dies nō ampliùs tres obducta cicatrix fuerit, reclamante medicinæ arte, quæ eiusmodi plagas, si persanari contingat, poscere ad curationem dies omninò triginta, docet: ac pręterea fieri minimè posse, quin læsa deinceps lingua balbutiret; quod Carraræ non accidit, qui rem ingenuè, ac scripto testatus, beneficium Olympij precibus, ac osculo acceptum retulit.

Redeo ad insanabilium conclauia, vbi est, cur aliquantisper immoremur. Denarrandum quippe factum, quo ostendit Olympius, non tam corpora,

quàm rem animorum curæ sibi esse. Enimuerò vt æterna est forma mentis, ac fluxa, quæ illam circumsistunt membra; agnoscebat in animis, quàm in corporibus procurandis longè quæsitiorem ponendam operam esse. Itaq; ad hospitales eas ædes Turcam quendam, auitæ superstitioni addictissimũ morbus adduxerat. quem ille conspicatus, commiserari nimio quidem opere cœpit, eò vel maximè quòd senio, ac valetudine confectus, vasa penè colligeret, ac propè abesset ab æternis ignibus, nisi mature illuxisset vera menti lux. Eapropter nihil intentatum relinquere, vt illum ad frugem reuocaret. Vbi hortamenta, ac monita minùs procederent, officijs agere, ac munusculis etiam, vt vehementiùs alliceret: idque ab eo tandem euicit, fore, vt proxima die Veneris responsum daret. Interea temporis vacare plus solito orationi Frãciscus: alios etiam rogare, vt rem precibus iuuarent: vrgere itidem vario afflictationum genere corpus; ac dicere confessario solitus erat, non aliud se laborum suorum pretium, quàm eius animæ salutem cupere. Condicta verò die nihilo melior, aut mollior Turca, comperendinare; ac reuerà quiduis aliud, quàm sanam mentem, adpromittere. At non se destituit Franciscus: perorare apud Deum prolixiùs causam; ac multùm sibi cùm ab aliorum precibus polliceri, tùm quòd in magnę Dei Matris ædibus ille ageret. Dicatum nanq; Deiparæ à Populo Xenodochium: eòque sperabat, fore, vt tutelare loci Numen suo patrocinio adesset. Et adfuit quidem. Nam breui cùm inualesceret morbus, lustralem fontem petiit, initiatusque Christianis sacris, paulò post functus vita est, potitus cęlo. Quod Sanctissimo Viro, qui in

Tureã in Nosocomio ad frugẽ conuertit.

asse-

afferendo in Dei libertatem Turca tantùm curarũ; ac laboris impenderat, supra quàm dici potest, accidit iucundissimum.

Iam verò satis in hoc theatro Franciscum detinuimus. Herculanum, non longè ab Neapoli oppidum excurrimus, vbi hoc ipsum, quo de loquuti sumus, Insanabilium Nosocomium, quod saluberrimum eius oræ cœlum inuitaret, explicato latiùs sinu, alteras suo sumptu ægrorum ædes excitauit: estque locus Neapolitanæ eius pietatis nobile additamentũ, ac quædam veluti præclari operis appendix. Hîc etiam operosa impigri Viri charitas suas semel partes præclarè egit, ac planè roscie: concitauitque sui venerationem insigni quadam rei admirabilitate, quàm imus narratum. Dei Seruus magno quidem in honore Arenç Marchionibus erat, nempè Francisco Concubletæ Viro, quem supra memorauimus, ab illustri cum primis domo, & ornatissimæ coniugi Isabellæ Caracciolæ: qui quòd Leucopetræ, qui Vicus ad tria circiter passuum millia Neapoli recedit, morarentur, eò statis temporibus expiandis conscientiis euocare nostros homines soliti erant. Accidit semel, vt iis prolixè postulantibus, vnà cum confessario, qui tùm Ioseph Albertinus, vir piissimus, accesserit Olympius, exceptus omnium veneratione, ceu qu d sanctimoniæ afflaret domui Viri præsentia. Quòd verò probè scirent Marchiones, nullum esse loci prospectũ, amœnitatemque, quæ adeò Olympii animum caperet, vt ægrotantium cõclauia, illum ad Herculani, quod diximus Nosocomium, propè enim aberat, ducere statim à prandio decreuere: rati etiam, satis solatij conflictatis vario morborum genere mortalibus al-

Herculani xenodochium petit.

latu-

laturos, si Franciscum eò deducerent. At ne vacuo, sterilique adiret sinu pietas, quædam illi dulciaria tribuit Marchionissa, quæ ferret: non pauca ea quidem, sed quæ minùs profectò sufficerent decūbentibus omninò septuaginta, quot ibi numerabantur. Ergo ad ægrotos ventum. Nec mora: quæ attulerat Olympius, in partes diuidere nō ampliùs quinque, & quadraginta. Tùm sua ipse manu nullo quidem administro distribuere. Nam cùm loci Infirmarij vltrò se se muneri offerrent, abnuit ille; Vos quippe, inquit, pauperes semper habetis vobiscum. Inter distribuendum ea verba pronuntiabat; Habete Deo, & Dei Parenti, & Diuo Iosepho gratias, & pro ijs orate, qui hisce vos blanditijs impertiunt. Itaque continuata à primo ad vltimum erogatione, adauctis diuinitùs bellarijs, ita partes quinque, & quadraginta, vti nempè diuiserat, distribuit, vt non modò totidem ęgrotis, sed omnibus etiam, quot inibi decumberent, nempè septuaginta, suum cuiq; frustulum dederit; superfueruntq; adhuc partes circiter octo: mirantibus effusè, qui aderant: aderant verò Marchiones ipsi, ac pleraque cùm eorum, tùm loci familia, & Albertinus noster, qui probè aduerterant, longè infra ægrotantium numerum diuisa à Francisco dulciaria. Et Marchio ipse testatus insuper summa fide est, vidisse se, ex ijs quibusdam, quòd egentiores viderentur, geminatam ab eo tributam portionem. Nec sanè tot oculos latere admirabilitas potuit; vti nec linguarum ardor, ac pietas contineri, quin manasset latiùs multiplicatę eius annonæ fama. Celebratum inde magis, ac magis Olympii nomen, ac charitas: sparsisq; in vulgus, quæ in nosocomiis patraret mira, quoties deinde

Dulciarios panes multiplicat.

Nea-

Neapoli eò iret, confluebat certatim vis mortalium, vt ea pijssimi Viri exempla, excessumque charitatis cernerent: adeò, vt cùm vererentur maximè nostri, ne quid turbarum excitaret multitudo, aut eiusmodestiam, animique demissionem læderet celebritas, cauerint aliquando, ne Xodochium peteret, quoad deferuesceret ille populorum rumor, ac impetus. Atque hæc de actuosa Olympij in proximorũ commoda indole, ac charitate.

De Olympii in brutas animantes blanditiis, & commiseratione.

Cap. III.


VAM modò explicauimus Francisci charitatem, nescio, an amplificari opportuniùs, possit, quàm si eiusdem aduersùs brutas animantes propensiorem quãdam indolem in medium producamus. Quod si consilii, ac rationis expers animal, & cui refractarium plerumq; ingenium, officijs, ac quodam sensu humanitatis prosequebatur, quo studio hominem, non tàm vultu, quàm animo, ac ratione erectum, genere prænobilem, cæteris naturæ opibus ornatissimum; & qui tanti Deo constat, adamasse, dicendus est? Igitur, siue naturæ facilitas ea fuerit, siue quòd quandam Procreatoris sui vmbram bruta circumferant, ac repræsentent, humanissimus erga istiusmodi animantes Olympius erat. Adblandiri, fouere, infortunia miserari: imitatus Franciscum Assisinatem, In brutas animãtes studium.

qui

qui eas à peculiari quodam affectu fratres, sororesque compellare solitus erat. Et quidem auiculas, quòd Dei laudes celebrare matutinis, vespertinisq; concentibus videntur, nulla non amoris significatione dignas putabat. Earum profectò parens videri poterat: curare alimenta; mensæ analecta ijs seponere: cùm frangi pro communi mensa nuces contigisset, euoluere ipse perdiligenter puta mina, ac reliquias inde colligere, quas auibus apponeret. Quo sanè nihil ad eius fenestram frequentiùs, quàm eiusmodi volucres, quas munifica Olympij manus alliceret: compensabantque deinde suo cantu, atque alarum plausu annonam. Commutare aliquando cellulam Maiorum iussu oportuit: ac tùm quidem in altero eo conclaui visæ confestim auiculæ; quas vir modestissimus, ne quis superiore quodam ductu, instinctuque eò conuolasse, existimaret, id impensiùs curabat, vt persuaderet sibi quisque, quod ipse persuasum habebat: nempè non easdem ipsas esse prioris cellulæ, sed alias. Eiusmodi in volucres charitatem, ac beneficentiam Felix Cantalicius è Capuccinorum Ordine vir sanctissimus exercuit. Mira siquidem familiaritate, affectuque eas alere consueuerat: ceu suæ fidei, ac prouidentiæ commendata ea volucrum familia fuisset. Planè si Deus ipse, vti Euangelium testatur, cæli volatilia pascit, ac vestit; non est, cur non in sanctis etiam viris id officij, ac munificentiæ probemus.

Prçcipuè in aues

Porrò qui Deum, aut quædam saltem eius vestigia, ac lineamenta in brutis agnosceret Olympius, nihil illi molestius, quàm ea lædi. Cùm tyrocinium procuraret, monere tyrones suos, vt si quid fortè araneorum telæ, cùm domum, aut templum verrerent, offen-

offendissent; textile quidem amouerent, textori parcerent. Quòd si iterum, ac tertiò idem redordiri opus auderet bestiola: tùm quidem munditiæ, nitorique templi cauere, ac dare ipsam contumaciæ pœnam, ęquum esse. Ad hæc, cœmeterium certis horis adire vnà cum nouitijs solitus erat, vt consepultos ibi nostratium manes iuuarent precibus, atque interim erudiret mores supremæ necessitatis memoria. Accidit hic porrò, vt quidam ex ijs adolescentibus apricantem fortè lacertulam, pressam pede exanimauerit. Angi hic magnoperè Dei Seruus: tùm asperè tyronem appellare, grauique reprehensione, ceu palmare piaculū admisisset, mulctare. An nesciret, inquit, præter hanc vitæ vsurā nihil istiusmodi bestiolis reliquum? Hæc summa ijs felicitas, hoc omne bonum. Cur igitur tantum Dei munus, suamque beatitatem inuidisset lacertulæ. Iterum, par illi animi sensus, ac commiseratio ad exteri cuiusdam canis lamenta, qui quòd clausis vespere foribus, in templo remanserat, vapulabat strenuè. Adfuit Olympius, ac perorata eius causa, id impetrauit, vt parcerent. Tùm discruciari intimè, quòd canem malè iam verberibus acceptum, ad templi gradus iacentem sub dio reliquisset. Ergo ad confessarium: tristitiæ sensum aperire, atq; opem cani ex animo poscere. Miratus ille Viri indolem; attamen vt tantam de cane sollicitudinem temperaret, peracri quadam responsione: quid? inquit, an tuo illum lectulo exciperes? Ita, inquit seriò Olympius, hoc ipsum nempè apud animum induxeram meum; ac par fuerit, afflictum adeò, perculsumq; animal pro modo fouere. Planè nihil commendandæ mitissimi Viri charitati opportunius,

Canem intimè cō miseratur

quàm eo sensu vilissimum canem miserari, ac suo illum cubili, ac culcitra procuratum velle. Ab eodem hoc affectu interpellare muliones, & qui vellaturam facerent, eosque interdum arguere non dubitabat, cùm cerneret, nimis acriter intentare iumentis suis baculum, ac verberibus afficere. Meminerint nempè, & ipsa è Dei familia esse, neque doloris sensu expertia: quid igitur tantùm iracundiæ in ea effunderent? Eius nempè humanitatis alios monebat, quá ipse mirè quidem in eiusmodi iumenta impendere solitus erat. Enimuerò facturus aliquando iter, ne vel minimùm equum vellicaret, ac læderet, calcaria non pedibus, sed cinctu gestabat. Et semel quidem, quòd dicerent, equos meritorios plerumque malos; ac proinde acri monitore, hoc est, stimulis egere, si festinare, excitarique eos vellet; paruit tùm quidem ipse, aptauitque ea pedibus tela: sed in viam vix ingressus; cùm rediere cinctui calcaria; ostenditque, non eius esse indolis charitatem, quæ stimulos tractet. Hinc illi semel regij cuiusdam Consiliarii filius magnoperè commendatus, quòd nescio quid præsentis subsidii in ęgrum quendā equum impenderit: agnoscere illum, atque amplexari ex animo voluit, ceu quid egregii operis patrasset.

Muliones increpat, si verberibus plus æquo agerent.

Calcaribus initi, nere abstinet.

Quem quidem animi sensum prodidit aliàs haud remissior sanè commiseratio. Fuit illi sub ipsis Paschatis solemniis agnus dono missus, cuius balatu intimè discruciari se, aiebat; quòd sibi viderentur, lamenta ea esse ominantis sibi, ac metuentis impēdens fatum. Ergo illi patrocinari, tuerique eius causam: indignum ratus, damnari capitis mansuetissimum longè animal, & quod ipsam innocentiam graphicè repræsentaret: idque impetrauit, vt non

In agnū commiseratio.

sta-

ſtatim neci darent, ſed quandiù inter homines Sal. uator egiſſet rediuiuus, hoc eſt, dies omninò quadraginta agnus ille viueret. Interim deferri ad amiciſſimi capitis hortum curauit, vt ali inter vberrima paſcua liberaliter contingeret: nec facile dictu eſt, quàm ægrè poſtea tulerit, dari ab eo iugulum: planè vt non ſine eius charitatis vulnere contigerit. Illud profectò non diſſimulandum, quod delicatioris cuiuſdam virtutis videri potuit. Morabatur vir quidā nobilis in ſuburbana villa; & qui id maximè optabat, vt epulo exciperet Franciſcū, ſummis ab eo precibus petiit, vt adiret. At renuit Dei Seruus, tùm ne quid detrimenti caperet à lautitijs abſtinentia; tùm maximè, quòd diceret, fore, vt aliquid domeſticarum volucrum per eam occaſionem mactaſſent: quod ſibi niſi moleſtiſſimum accidere minimè potuiſſet: neque videri ſibi charitati conſentaneum, cœdi, litarique ventri, ac gulæ innocentes hoſtias. Et quidem, quòd paulò hic ſeuerior charitas, quæ comis, atque vrbana ex ſe eſt; moneri illum oportuit, haud inſolens Sanctis Viris conuiuiis aliquando excipi, aut excipere. Diuum Martinum Cæſaris menſam minimè detrectaſſe. Diuum Ambroſium Magiſtratibus cohoneſtandis procuraſſe ſplendidè interdum epulas. Præterea hominum vſui cæteras animantes deſtinatas: iis viuerent, aut morerentur, imperata Dei facere, atque id exequi, quod iis præſcriptum. Quo ſanè potuit aliquando, licet perrarò virorum procerum mēſis accumbere. Ad extremum cùm cerneret, fieri minimè poſſe, quin aliquod aliquando animal, aut caſu, aut dedita opera ipſe interimeret, illud ad ſui ſolatium excogitauit, vt quando nihil deinde adiumēti, ac opis

Cur adire procerū mēſas recuſet?

Animaliū neces cōpenſat.

afferre iis post mortem posset; id officii impenderet Purgatorii Manibus: atque adeò quoties minimum licet, ac vilissimum necari à se animal contigisset, toties aut precibus, aut cœlestium deliciorũ indulgentiis pias animas iuuabat, compensabatq; brutarum animantium necem miserabilium animarum ope.

Olympii Religio.

Cap. IV.



OST charitatem, quæ princeps virtus, occurrit statim religio, quæ & ipsa principatum quendam obtinet in choro virtutum. Nam licet non attingat proximè, atque intimè Deũ; debitum nihilominùs diuino Numini cultum, honoremque docet, ac temperat: quo nihil excellentius: cùm id præscribat, quo maximè æternæ mentis sapientiam, diuinique Imperii fasces agnoscimus, ac veneramur. Iam, in Olympio pręsigni hac virtute nulla antiquior, quæ rudimenta ipsa vitæ consecrauit. Puero siquidem illæ potissimùm curæ, ac lusus, vt aliàs innuimus, sacras ædiculas pro modo excitare, concinnare aras, ecclesiarum ritus, cantusque imitari. Planè nullum certius reliquæ vitæ indicium, ac omen, quàm prima infantiæ indoles; atque adeò à primœua ea Francisci religione, ac sacrorum gustu coniectari facilè potuit maturior deindè, ac quæsitissimus in eo diuinæ rei cultus. Et verò, Deo mancipatus, ac crescente

A puero religioni addictus

ſcente mox œuo addictus ſupra quàm dici poteſt, huic ſacrorum ſtudio videri potuit. Vbi de templorum nitore, de ſacri inſtrumenti munditie, de altarium magnificentia, de ſolemniorum pompa, de ceremoniarum ritu agebatur, nihil eo ſtudioſius, ac elegantius. Non labori, non vigilijs parcere, vegeta quadam vi corporis, animique alacritate incredibili: planè vt cum de celebrando, ornandoque Numine ageretur, ſolidiore quadam materia, quàm cœteri mortales, ac fuſili ære compactus videretur, ab indefeſſa nimirum curarum contentione, ac ſupra vires conſtantia. Ac ſemel quidem recurrente natalitia Chriſti Domini luce, quà pſallendo, quá templo concinnando, exornandiſque aris viſus ſtare, aut huc, illuc excurrere horas omninò ſexaginta, abacto penitùs ab oculis ſomno, ac libato recreandis tantiſper viribus raptim cibo. Quod quidem eueniſſe, ideò credimus, quia ſcimus factum; cum alioqui extrahi ſine aliquo quietis ſpiramento tandiù laborem poſſe, hominum imbecillitas neget. Vegetabat nempè vires ſingulare in res ſacras ſtudium, à quo dicere ſolitus erat, vti aliàs innuimus; Dilexi decorem domus tuæ, & Matris tuæ. Huiuſmodi autem in templorũ cultum propenſio perſpecta illicò Patribus: & vt quæ præcipua eſt noſtri Inſtituti laus, tranſmiſſa veluti per manus, atq; hæreditario quodam iure à maioribus, ſartam, ac tectam ſeruaret Olympii religio; Sacrarij, ſacrorumque illi præfecturam demandarunt. Quin vt hoc ipſum ſubindè ſtudium inſtillaret, imprimeretque altiùs ſubcreſcenti Ordinis ſoboli; quo tempore tyrones regeret, ſimul Æditui munere fungi voluere: ac tùm quidem mirum,

rum, qua illos diligentia in diuinorum tractatione institueret, quàm concinnè, quàm eleganter curari sacram suppellectilem, expoliri templi parietes, ornari aras, vellet. Semel, quòd vidisset quendam ex laicis fratribus accedere propiùs ad altare, ac nescio quid sacri ministerii obire, imperare sibi minimè potuit, quin illum subiratus acriter moneret; quòd diceret, nonnisi sacris ordinibus initiatos attrectare aras, ac sacra debere.

Templa mirificè veneratur

Templa deinde, quòd diuini Numinis præsentia, ac sanctitas consecraret, insigni reuerentia prosequebatur. Cum ea iniret, componi mirificè ad omnem modestiam, animique demissionem, atque horrore quodam testari mentis habitum, ac venerationem videbatur. Mane cùm cellulæ fenestras aperiret, id illi primum, suam Ecclesiam, ac si quam inde aliam prospectaret, consalutare; iisque pietatis veluti primitias dedicare. Hyemabat aliquando cœlũ, ningebatq; cùm illum abluere sacro Fonte viri cuiusdã principis infantem oportuit: ac prę. ter aeris intemperiem, ac senium, incommoda etiam tùm quidem vtebatur valetudine: attamen exorari minimè passus est, vt Ecclesiam sella gestatoria ingrederetur; maluitque lædi niue, ac cæli inclementia, quàm non eam exhibere reuerentiam, quæ Dei domum, eiusque maiestatem deceret. Ad hæc, communicare semel cum quodam è nostratibus, quo tùm afficiebatur, corporis incommodum debuit; & quod fœdum esset morbi genus, egredi ab Ecclesia priùs voluit; veritus, ne sanctimoniam, honoremq; templi ea ægritudinis cõmemoratio contaminasset. Quem quidem animi cultum & iis etiam locis impendebat, vbi sacra aliqua ædes, aut

quid

quid sancti olim fuisset. Celebre Neapoli est Diui Potiti Gynæcèum à Sacrarum Virginum cùm disciplina, tùm luce generis. Transferri hoc in amœniorem situm contigit, astumque in planitiem priscum templum: Per hanc igitur aream nunquam Olympius transibat, quin aperto capite veneraretur. Extitisse, videlicet, ibi Ecclesiam, abundè erat Viro religiosissimo, vt locum, situm, ac vacuum ipsum aerem intimè coleret. Id quod in Sanctorum Apostolorum domo accidit; vbi visus ille sæpiùs exosculari parietem, in quo nihil sacri, ac sancti, ac nulla religionis species tùm appareret. Dum inquirunt, compertum, annis superioribus altare id loci fuisse, atque in eo Christi Domini è Cruce pendentis effigiem: putabatque vir Dei, aliquid inde sanctimoniæ relictum parieti, quę ipse vestigia osculo, affectuque recognosceret. Cuiusmodi cultum cuidam è Neapolitanis nobiliū Sedilibus aliquando tribuit. Dum enim illac pertransit, aperto item capite honorem loco habuit; ac deberi, inquit, id religionis, quòd hesterna die populorum inibi pietati prostasset viuidus inclyti Martyris Ianuarij sanguis, ac caput; veluti perduraret adhuc aliquid pridianæ lucis, atque ab insignium reliquiarum præsentia sanctitas.

Et vacuā templorū aream.

E sacris autem imaginibus, domi essent, an foris, piaculum profectò illi fuisset, insalutatam aliquam præterire. Diximus aliàs, quodam in itinere obuias quasque Cœlitum effigies non vtcumque venerari, sed descendere equo solitum, vt de genu adoraret: quoad monitus, impedimento, ac moræ id esse non mediocri reliquo cætui, abstinuit. Per vrbem verò dum iret, antequam nimium vulgi studium, atque

Diuorum imagines veneratione prosequitur.

affe-

affecta valetudo vti curru coegiffent, admirationi profectò erat, vt insignem quandam modestiam cum insigni religione coniungeret. Defixis nanque humi oculis, ac meditabundus licet incederet, consalutare nihilominùs, quicqud sacrarum imaginum eundo offenderet: vt ne minimæ quidem icunculæ, pro parietibus, in angulis, in porticibus depictę, pijssimi Viri obtutum, venerationemque effugerent. Exterorum domos cùm adiret, fuerint illi primæ notæ viri, non antea quempiam salutabat, quàm singulas Diuorum effigies, quas in conclaui cerneret, pietatis cultu percurrisset. Iis deueneratis, nihil eo deindè officiosius. Illud semel accidit memoratu dignum. Mulieres quasdam conuenerat, earumq; domicilium dum circumspectat, nusquam sacra aliqua occurrit imago, quam veneraretur. Monere acriter Olympius, quòd Cælitum tutela vacaret domus: scirent tueri Diuos, ceu sua, suæq; fidei, ac clientelæ cōmendata ea loca, in quibus ipsorum extaret icon: neque explicari facilè posse, quantùm ad domorum præsidium, ac munimentum eorum vel ipsa lineamenta, ac vmbra valeant. Igitur ne tantum hic præsidii desit, arcam illam (signauit ipse arcam) inspicite, & quæ se se vobis offeret Diui Antonini imago, pendeat hic ad loci tutelam, vestræque pietatis incitamentum. Inspiciunt, reperiunt: stupore planè defixæ, quod vidisse vnquam, aut reposuisse in ea arca eiusmodi effigiem, omninò negarent. Domi verò, vbi is agebat, quas offenderet eundo, redeundo sacras imagines, venerari certis precibus ad vnam omnes, ac figere iis oscula. Quo manus non pertingeret, sudariolum in altum iacere solitus erat, vt tangeret: tùm illud exosculabatur, inter-

Occultā D. Antonini imaginem patefacit.

interdum non sine lachrymis. Expolire item illas, ac puluerem excutere, ac quasdam etiam solennioribus anni ferijs flosculis exornare: planè vt nulli erga illas obsequio deesse videretur.

Reliqua deinde sacra, Diuorum nempè lipsana, Cruces, diuina bibliorum volumina, sacrarum precum codices; quicquid demum sancti aliquid repræsentaret, qua religione tangeret, ac prosequeretur, haud facilè quis explicauerit. Lustrali aquæ addictissimus: propinare infirmis in spem instaurandę incolumitatis, solitus erat. Si quid pij munusculi donaret, ea priùs respergere. Canonicarum horarum librum nōnisi digniore cellulę loco, ac plerumque supra lecti puluinar reponere. Si quid tangendum sacri esset, manus abluere: vbi tetigisset, iterum abluere; ne sacra perindè, ac profana attrectaret. In natalitijs Christi ferijs excitandæ mortalium pietati strui in Sanctorum Apostolorum templo, imitarique Domini præsepe, mos erat. Diffingi verò cùm contingeret, cunarum paleas, quòd nescio quid inde religionis contraxissent, ne alicui iniuriæ exponerentur, comburi curabat. Par studium adhibere, vt quæ purgamenta, cùm post Dominicum palmarum diem Ecclesiam conuerrerent, colligerentur, in cœmeterium deferrent: quòd diceret, fieri vix posse, quin aliquæ è sacratis oleæ frondibus immixtæ ijs essent, quarum religioni caueri, oporteret. Ad hæc, non modò ad Sanctissimum Iesu, ac Mariæ nomen, verùm etiam cùm nominari missam Eucharistiam, sacrificium, Ecclesiam, sacrariū, ac sacram ipsam turrim cōtigisset, caput aperiebat. Eadem religione informabat tyrones suos. Ex ijs quendam legentem non ea, qua deceret, reueren-

Sacra ac sancta mirè colit.

tia pium libellum semel reperit. Excandescere vir, cœtero qui mitissimus, atque acerbè in illum inuehi, ceu grauioris noxæ reum. Nempè vt olim Carolus Borromæus, aut de genu, aut aperto capite legi à suis sacros libros peruellet. Dies festos insigni animi cultu celebrabat; vacabatque rebus duntaxat sacris, ac Deo, vt ne pręcidere quidem vngues in ijs auderet, ne vel leuissimo eo opere aliquid de solenni luce, eiusque Sanctitate decerperet.

Quos verò Ecclesiastici muneris dignitas, aut votorum professio consecraret, eos peculiari quadam reuerentia, ac cultu dignos, habitu ipso corporis, gestuque testabatur. Romanum in primis Pontificem, Dei nempe in terris Vicarium, ac Summum Sacrorum Principem si appellari se coram contigisset, demisso adeò vultu, ac fronte nomen venerabatur, vt intelligeres, quem supremæ ipsi potestati, ac summo Patri honorem haberet. Per Archiepiscopi Neapolitani, atque Apostolici Nuntii ædes quoties transiret, aperire venerabundus caput consueuerat. Præcipuos Maximi Pontificis administros eos esse affirmabat: ac videri proinde sibi, à dignitate, à munere vel ipsis domorum parietibus quandam afflari maiestatem, quæ venerationem conciliaret. Ipsos verò Ecclesiarum Antistites vbi offendisset, niti statim genibus solitus erat; tùm rogare etiam, atque etiam, vt bene sibi precarentur, ac sinerent pronubum anulum exosculari: quòd si minimè in promptu esset, anularem saltem digitum, iis insignibus destinatum, libare osculo curabat. Confessarium nunquam non nudo capite alloqui. Cæteri religiosi homines, quòd peculiari quodam nomine è Dei familia, ac censu, summo apud ipsum in-

Ecclesiasticæ dignitatis gradus veneratur.


ho-

honore erant. Militares autem Equites nescio, quo maiore honestare cultu videbatur ob conspicuam, quam gestant pectore crucis tesseram, quam nunquam non osculo cōsalutabat. Neque hic dissimulandum, quod Ioannes Baptista Caracciolus, Sancti Boni Principis germanus frater, Hierosolymitani Ordinis, vt vocant, Prior, vir sanè præter natalium lucem, à multis animi partibus spectatus, Ludouico nostro Antinoro narrauit. Aegrotabat Princeps eius mater, quæ vtpote Olympii perstudiosa, accersiri illum ad sui solatium iussit. Adiit Dei Seruus, ac domum ineunti obiecit se se obuiam Caracciolus, adolescens tùm quidem, Melitensi habitu, ac tessera insignitus: quem ille vt vidit, prouolutus in genua, venerari niueam eius crucem primùm voluit: mox illam osculari: ex quo Crucis osculo, facto excessu mentis, à sensibus recessit, hæsitque immotus: attonito vehementer prænobili adolescente, qui hæc intueri absque ingenti admiratione non potuit. Qua de re iterum, ac tertiò ab Antinoro interrogatus is ipse Caracciolus Prior, & an reuerà extasim eam fuisse existimaret, iterum, ac sæpius, ac planè seriò ita esse, affirmauit: addiditq. perfamiliarem suæ domui Franciscum Olympium fuisse, eique pleraque impetrasse suis precibus beneficia; ac fore, vt Mater, si viueret, retulisset non sanè pauca, memoratu digna. Cæterùm qua religione oraret, psalleret, sacra faceret, diuinis rebus interesset, suum quæque habuere locum.

Militarium Ordinum cruces osculo salutabat.

Olympii in diuinam Eucharistiam religio.

Cap. V.



Ræcipua quidem in Francisco fuit erga augustissimum Eucharistiæ Sacramentum religio. Nihil æquè prouocare mortalium amores, studia, cultum, existimabat, ac diuina ea mysteria, quæ cœli medullam, æternæ charitatis delicias, alimenta vitæ, ac Deum ipsum tenui sub velo continent. Incredibili proinde pietate, affectuque in tantum amoris pignus ferri videbatur: idque in primis commonstrabat mentis ille ardor, atque intima animi deuotio, qua facere ad aram solitus erat. Inardescere, colliquefieri, diffluere deliciis, ceu supernis iam mensis accumberet, atq; æterno se se nectare prolueret. Sed memorata hæc nobis in loco, cùm de Olympio primũ sacrificante loquuti sumus. Alia hic modò suppetunt eiusdem argumenti, quæ literis consignentur. Planè quando Eucharistici Christi Corporis id proprium est, vt in imum pectus descendat, atque interna ipsa mortalium viscera imbuat, ac beet; haud deindè mirum si eius desiderium, amor, pietas intimis etiam medullis hæreat: vti in Olympio accidit, cuius animo nihil impressum, aut inustum altiùs videri potuit, quàm diuinum hoc epulum, eiusque dignitas, pretium, suauitas. Summo mane ea illi princeps cura, exerere è fenestra caput, ac Sacrã Eucharistiam in Ecclesia, quæ non adeò remotior, quàm

In sacram Eucharistiã studium.

quàm religiosissimè venerari. Interdum nocte ipsa intempesta lecto surgere, fenestras aperire, diuinissimam item Hostiam salutare: tùm Ecclesiæ specularia attentè contemplari, num repercuteret ibi lumen. Nam si extinctum ad Euchariſtiam lychnum vel minimùm suspicaretur, accurrere nulla mora, vt concinnaret, aut accenderet. Matutinum deindè tempus affixus choro, hoc est, coram diuinissimo altaris Sacramento transigebat. Hic eius spiritus deliciæ, hic liquidissima animi voluptas, hic diuina suauiùs commentari, hic recitare attentiùs preces. Abibat deindè lætitiis omnibus perfusus: ac tùm quidem lentè admodum, atque iteratis per id chori spatium salutationibus, flexisque non semel genibus discedebat; veluti immorari diutiùs vellet: ostendebatque ægrè à suis amoribus auelli.

Si quos erga id præcipui Sacramenti magnoperè affectos inaudiuisset, gestire, lætari, dilaudare. Semel efferre summis laudibus Paulum Philamarinũ ex nostris, Episcopum postea Caiacensem cœpit. Commendatio in eo tota fuit, quòd is, quo tempore Sanctorum Apostolorum domum administrauerat, lychnos, qui ad aram principem arderent, adauxerit. Planè cum pleraque, ac præclara inessent Philamarino præsidia virtutum, dissimulauit ea Olympius, atque vnam religionem, qua sacram Eucharistiam coluisset, elogio cohonestauit: putauitque abundè virum commendasse. Iterum incredibili affici lætitia visus est, cùm narrari de sanctissimo Antistite egregiam in tantum mysterium religionem inaudiuisset. Fuit is Ioannes Ribera, Archiepiscopus Valentinus, & Patriarcha Antiochenus, Vir ab illustri quidem domo, sed ab omnige

Pauli Philamarini in Eucharistiã piẽtas.

Et Riberę Patriarchę

nige:

nigena virtute illustrior, atque eiusmodi in primis pietate nobilissimus. Nunquam illum ad venerabilis Sacramenti nomenclationem caput non aperuisse: de eo quàm frequentissimè, exhausta nunquam facundia, ad concionem dicere solitum fuisse: destinatam illi ædiculam, ac aram magnificè instruxisse: nouam illam excogitasse salutationem: Laudetur Sanctissimum Sacramentum: magna hęc quidem videri poterunt: illud profectò maius. Enim uerò abraso Gentilitio stemmate, iis vti insignibus voluit: nempè Calice cum Hostia, appositis geminis hinc inde aris cum igne: addita epigraphe: Tibi post hæc quid faciam, fili mi? Hęc de pręstantissimo Patriarcha cum narrarentur, gratulabundus, oculisq; præ gaudio natantibus excipere Olympius; pietatem dilaudare, atque id maximè cupere, vt in celebrando Eucharistico Numine certarent cum eo reliqui Antistites.

Iam quòd ab externo apparatu, ac pompa excitari mirificè interiorem animi religionem intelligeret, nihil illi iucundius, quàm aram maximam, aut vbi Christi Domini Corpus asseruaretur, à syrmate, à suppellectili, à floribus magnificè nitere. In Diuorum solenniis multam accendi ad eorum effigies facem; conuestiri splendidè parietes, vernare floribus altaria, atque auro, argentoque explendescere, nimiùm; quantùm probaret; gaudebatque sanctis Viris, eorumque virtutibus suam contingere venerationem, ac plausum. At enim nescio quid illum religiosæ inuidię in tanto rerum splendore, ac cultu admordebat. Scilicet, aram Domini principem luminum numero, suppellectilis pretio, ac cętero cultu ornari sumptuosiùs voluisset; vt quod est digni-

Ornari sacram Eucharistiam cupit.

gnitate; ac diuinitate cœteris maximum, nempè diuinissimum Christi Corpus; etiam honore, atque externa maiestate anteiret. Huic autem diuinæ rei cultui illud ipse de suo addebat, quod exiguum quidem videri poterat: at nihil humile, quod ab insigni quadam religione existeret, ac Deo dicaretur. Acetariolum interdum ita adhibebat ad cœnam, vt oleo parceret, dedita nempè opera, vt in sacræ Eucharistiæ honorem cederet liquor, atque alimenta sufficeret eius lampadi, cui ipse tacitè dedicabat. Quicquid præterea ad incomparabile hoc Sacramẽtum pertineret, quàm maximi faciebat. Nullas, aiebat, pretiosiores esse, sanctioresque reliquias, quã laciniam illam, quam Corporale appellamus: vtpote quod ipsamet Eucharistia attactu consecrat, ac sui diuinitate afflat. Flores, qui eius aram amœnassent, ornassentque, colligebat ipse incredibili studio, quos deindè, veluti ab altaris areola decerptos, eòque veneratione dignos, ac maximè salutares, viris, matronisque distribuebat. Id admodùm ægrè ferre videbatur: hostiarum nempè fragmenta in terram aliquando decidere, ac pedibus proculcari. Siquæ ipse inspexisset, confestim colligere; & aut ipsemet mandere, aut decenti loco deponere solitus erat: indignum nempè ratus, cõsimilem sacræ Hostiæ materiam, istiusmodi exponi iniuriæ. Qua etiam de causa obsignari albis hostiis epistolas magnopere improbabat: neque enim profano vsui adhibendum, existimabat, quod externa ipsa specie Sacramentorum maximum repræsentaret. Sicuti profanos viros conficere, præcidere, concinnare easdem pro altaris Sacrificio Hostias, tantæ rei sanctitati dissentaneum omninò putabat: ac semel quidem vni

Hostias tractari religiosè curat

ex

ex nostris Visitatoribus, Romam propè diem discessuro, id etiam, atque etiam commendauit, curaret nempè, vt qui sacræ Rituum Congregationi Romę præsunt, prauæ huic cònsuetudini cauerent; ac seuerè statuerēt, vt id laboris, ac operæ non nisi Clericorum manus obirent: ne quod futurum mox erat Diuinitatis conceptaculum, piarumq; animarum delicium, profana tractaret manus.

Christi Corporis festū quam religiosè exciperet,

Anniuersariam verò Eucharistici huiusce mysterij lucem quo sensu pietatis, atque ardore mentis exciperet, ac celebraret, incredib le dictu est. Nihil esse in corona anni pretiosius festa hac die, ac cōsequētibus mox ferijs, aiebat, quas ipse Dn̄s sui pręsētia, ac maiestate implebat. Vacare proindè plus solito interiori homini: isque tùm illi erat oris habitus, ea vultu hilaritas, vt facilè quis coniectaret, vberiores cœli delicias, atque afflatum propiore Numine animum. Quod est in more positum, vt in Dominicæ Resurrectionis die, atque Infantis Dei natalibus fausta inuicem ad quādam vrbanitatem ominemur; id ipse hac etiam luce fi ri, consentaneum putabat. Nunquā, videlicet, faustitatem, sospitatem ominari quempiam opportuniùs posse; quando nulla dies lætior, eo potissimùm nomine, quòd quicquid Christi Domini in Cęlum ascensus abstulerat, augustissimum hoc Sacramentum restituat: vt eripuerit quidem Saluatorem nubes lucida, restituat nubes candida, hoc est, species Eucharistiæ. In hac etiam sanctioris diei celebritate, cùm solennem obiri supplicationem, mos est; nihil illi tristius, quàm fractas interdum vires ita sibi obluctari, vt conuenire, atque obire cum cætero Patrum agmine Ecclesiam nequiret. Attamen ne tota ea careret voluptate,

tate, linteo indutus amiculo, ac facem manu tenens, innixusque baculo ad chori latus, qua patet ad aram maximam aditus, perstare solitus erat. Sic eo, quo poterat modo, sacram & ipse Eucharistiam deducebat, ac flexo ad quendam mœrorem, ac pietatem vultu intimè se dolere, significabat, quòd detineret inuitum imbecillitas. Id quod & in maioris hebdomadæ supplicationibus, die nempè Iouis, ac Veneris non rarò accidit.

Ardens hoc porrò in Eucharistiam studium nunquam flagrantiore animi affectu commonstrabat, quàm cùm lecto decumberet. Discruciari, angi supra modum, quòd litare, ac suis contrectare manibus diuinum Corpus nequiret: idque ingens illi tùm solatium, prensare, atque osculari Sacerdotum manus, quæ Agnum Eucharisticum immolassent. Libasse osculo operatam sacris dexteram, libamentum quoddam sacræ hostiæ reputabat: eoque recreari intimè sentiebat. At non hæc satis Viro flagrantissimo. Dignari singulis diebus diuino eo epulo postulabat; dabantque eximiæ eius pietati quotidianum hunc cælestium deliciarum vsum. Linteatus, stolatus, imposita etiam pectori cruce, sacramentum Communionis obibat. Surgere, ac ponere humi genua testandæ humilitati voluisset; sed quando non id languor, ac virium imbecillitas permitteret, detegi pedes iubebat; vt reuerentiam, animique demissionem nuda ipsa vestigia demonstrarent. Affectus deindè, gaudia, alloquutiones, & quæ vultu arderet, charitatis flammã, dum vitæ cibum sumeret, nullus profectò explicauerit. Accusare præsertim peculiari quadam cõfessionis formula anteactam vitam, excitare, atque euentilare su-

Aegrotus quotidie Christi Corpori cómunicat.

Quo sensu pietatis.

ſpirijs amoris ignem,inſtaurare religionis vota. Refectus deindè ſuperſubſtantiali eo pane, imam pyxidis partem exoſculari,antequam abiret Sacerdos; quem, apprehenſo etiam pendēte ex humeris velo, detinere conabatur: nempè vt oſtenderet, quam acerbè ferret, abire amantiſſimum Numen. Cùm verò rediret è Sacrario is idem Sacerdos, nihil vehementiùs optare,quàm ad gratiarum actionem, eius exoſculari pedes. Quod cùm ille abnueret, id infimis precibus petebat,vt ſoleam permitteret,quā libatis identidem oſculis, pectori, ceu rem ſibi iucūdiſſimam, atque optatiſſimam adprimebat.

Vel in ſupremo ſpiritu in Euchariſtiam pietas.

Hic Viro ſancto in diuinorum myſteriorum vſu mentis ardor, ac ſtudium, cùm ægrotaret: qui vel in vltima ipſa vitæ linea qua veneratione dignum eſſet Euchariſticū hoc gloriæ pignus, præclaro etiā documento monuit. Agebat iam ſupremam animam: exigua, ac nulla penè lux oculis, nullúſque iam linguę vſus. Aderant, qui laborantem iuuarent, effuſi in preces Patres; cùm viſus, ijs, qui ad cellulæ feneſtræ erant, neſcio quid innuere: & quòd conanti non ſuppeterent verba, nullus mentem aſſequebatur: putabant, id poſtulare, ne feneſtræ lumen eriperent: ſed ijs tantiſper amotis, cùm adhuc aliquid peteret, coniectari facilè fuit, vti mox compertum, monere, ne auerſi parieti illi eſſent, qui videbatur Eccleſiæ,atque aræ eius maximæ reſpondere: Planè deſtituere moribundum potuere ſenſus, vires, vox, non pietas, atque in ſacra, ſacramqꝫ Euchariſtiam religio, cui vel ſupremo etiam ſpiritu cauit.

Olym-

Olympii in Christi Domini cruciatus Religio, & pietas.

Cap. VI.



VI vberrimas haurire è fontibus Saluatoris delicias consueuerat Franciscus, miro quodam studio in diuina ea cruciamenta, ac suscepta pro mortalium salute supplicia ferebatur. Nihil frequentiùs sermonibus vsurpare, commentari, legere, ob oculos ponere. De incomparabili Christi charitate, qua tot pęnarum genera exhausit, siue haberet ipse sermones, siue loquentes alios audiret, emicabat statim vultu index animi pietas: vt excitatam intimè commiserationem, quibusdam veluti lineamentis expressam ore cerneres. Sequebantur mox lachrymæ. Facilè namq; à tanti amoris igne colliquefieri cereum eius pectus videbatur. Id quod in publicis etiam locis, vtque aliàs memoratum est, in ipsa præsertim cœnatione accidit, si quid aliquando de cruenta Dei nece, eiusque cruciatibus legi super mensam inaudiuisset. Sextas per annum ferias, tàm luctuosæ recordationi sacras, peculiari quadam religione excipiebat: certis consalutare precibus vulnera: peracerba pęnarum instrumenta singillatim deuonerari: immorari contemplatione in ferali ea scena prolixiùs cōsueuerat. Quæ nostris ea die præcipitur abstinentia, arctissimum illi ieiunium erat: idque insuper in more positum habebat, vt quicquid tùm sumeret cibi,

Faciles ad Christi cruciatus lachrymæ

Christi Domini lateri, aut eius felli intingeret; concipiebatque ab ea pietate nescio quid succi melioris ferculum. Sanctiore verò hebdomada, quòd eà tùm potissimùm cruenta mysteria celebrentur, morientis Dei ærumnas à vehementi quadam mentis attentione præsentes habere, ac cernere; turgentibus semper à fletu oculis, videbatur: tùm corporis afflictationes congeminare, seueriore manu flagellis agere, noua quædam compatiendo Numini excogitare. Id illi duntaxat ea luce permolestum, quòd ab altaris Sacrificio, ac Christi Corpore abstineret: eaque aliquando animi defectione, sensuque tristitiæ corripi visus est, vt Andreas Piscara Castaldus, Præpositus, vir consultissimus, necessarium duxerit, illum præter communem morem diuino tùm epulo reficere: nempè quę ijs maximè diebus inardescebat Viri charitas, complecti sponsum sanguinum vsque ad animi deliquium cupiebat. Noctem verò, quæ sextam eam feriam præit, ad Christi Domini sepulchrum genibus nixus inter preces, ac gemitus ea cōtentione excubare, vt nihil prorsùs somni oculis, nihil quietis membris indulgeret.

Sacros Passioni dies quo cultu exciperet.

An autem hæc diuinarum pęnarum monumēta ob oculos semper haberet, coniectari inde facilè poterat, quòd earum memoriam singulis quibusq; actibus inserere quodammodò conaretur: adeò vt vel comedendo, imbueret, condiretq; Christi felle panem, quod modò innuimus. Et Placido quidem Pallauicino, quem memorauimus aliàs, id aliquando documenti impertijt, vt quoties, dum Ecclesiam iniret, ad lustralem aquam accederet, persuaderet sibi ad Christi latus accessisse; eoque à vulnere pro aqua sanguinem sumere, quo frontem in-

ſpergeret. Ad hæc, quædam illi interdum moleſta, atque iniucunda accidere videbantur: ac tùm quidem ſi acerbiſſima Redemptoris tormẽta, crucem, necem obieciſſes: emolliri ſtatim omnia, ac miteſcere: planè vt ab ea duntaxat cruciatuum cõmemoratione nihil non aſperum per quàm auidè voraſſet. Diximus aliàs, quàm graue illi à ſecreto mentis, ac cellulæ conclaui ad externas curas ſpargi, ac virorum procerum domos adire: quod eò vel maximè moleſtum, quòd à ſenio curru vehi oporteret. Igitur ſocius, vt triſtitiam mulceret, cùm adueniret currus, ijs illum verbis monere ſolitus erat: Adeſt Crux, Pater. Ad quam ille vocem, abſterſo confeſtim mœrore, liberali fronte, ac gratanter ibat; veluti perfudiſſet lætitijs omnibus animum ipſa duntaxat crucis appellatio. Quam quidem animi alacritatem aliàs etiam ad quandam diuinorum cruciatuum imaginem egregiè commendauit. A medicis potionibus perindè abhorrebat Franciſcus, vt ipſe earum aſpectus moueret ſtomacho faſtidium. Conabatur quidem ſtrenuè, ſed natura obluctante, conatus frangebat delicatior ipſa ſtomachi indoles, ac languor. Ergo vrgente aliquando vi morbi, propinari pharmacum oportuit; allatumque argenteo quodam vaſe, cui calicis quædam forma inerat. Excitari illicò vehementior lucta, atque auerſari medicinam viſus: Sed recurrente ab ea mox calicis figura ad Chriſti Domini calicem, ac cruciatus memoria, erectuſque vigore quodam animi, mirum, quo cœperit pro Chriſto patiendi deſiderio inardeſcere. Alloqui primùm poculum verborum copia, affectuque incredibili: deprædicare eximiam Saluatoris charitatem, ac patientiam, qui tantum inde

Ardua Chriſti paſſione tẽperabat.

tor-

tormentorum hauserat: monere se, vt ad egregium Domini exemplum auderet: increpare, quod sub generoso, spinosoque capite delicatulus videri posset: ad extremum, vt cum Christo combiberet, calicem illum complexus, visus profectò naturam, eiusque imbecillitatem, atque horrorem mirè vicisse. Non vno siquidem haustu, vti mos est ægrotis, vt citiùs ab ea se molestia expediat: verùm vt afficeret, oblectaretq; prolixiùs suauitas; sēsim, tractimq; sorbere: tùm exsiccare diligenter, ne quid probioris gustus remaneret in fundo: planè vt non auidiùs bibacissimus quisque phalerni crateres exhauriat. Valuit nempè apud Olympium effigies illa Calicis, ac Dominicæ passionis memoria, cuius æmulandæ ardor animos illi, viresque addidit.

Sed familiare hoc illi in rebus aduersis solatium, neque aliundè cæteram vitæ tolerantiam imitari, atque exprimere videbatur. Vir fuit Franciscus longè patientissimus. Conflictari identidem morbis, quod in loco memini, iisque acerbissimis, solitus erat: erisipelate, videlicet, podagra, chiragra, dolore laterum. Quæ quidem non ea erant, quæ vultum illi mutarent. In medijs ipsis cruciatibus nihil eo tranquillius: planè vt abrogare doloribus fidem serena frons, ac quadam etiam amœnitate vernans videretur. Interdum quidem doloris interiectiones leni voce proferre: sed monebat, qui aderant, haud conqueri tùm se, sed diuinam opem ea voce implorare. Diuexabatur semel vel cùm maximè sensu doloris peracuto: qui aderat eius ministerio sacerdos, quòd sciret pleraque ipsum impetrare solitū solenni ea ad Diuam Virginem precatione, cui initium: Salue Regina: monere illum, vt recitaret, leniretque

Olimpij Patientia.

quę vim cruciatuum eâ imploratione. Sed renuit: atque aliàs, inquit, opportunum Marianum patrocinium fore: interim ferendum sibi id doloris esse ad Saluatoris Christi imitamentum. Cum interrógarent, vt valeret? Familiaris hæc illi responsio, Dei mater, ac D. Ioseph, alijque Cęlites beneficium hoc mihi impetrarunt, vt aliquid pro Christo pati merear. Incommoda à valetudinarijs, eorumque obliuione, aut incuria festiuè, ceu blanditiæ quædam forent, accipere. Semel sub ipsum febris initium operiri largè vestibus oportuit: sed æstu mox inualescente, cùm alleuari ipsemet operimentis facilè posset, absente tum quidem infirmario, retinere impositam eam sarcinam maluit, illam sibi patiendi occasionem gratulatus. Præter ægritudinum molestias nō defuere & aliæ exercendo viro ærumnæ. Fratrum funera, illata nepoti mors, suprema suæ domus calamitas visa non mediocriter eius cōstantiam pulsare. Ad hæc, cùm scrupuli animum discruciarent, confessarij asperè interdum appellabant, increpabantque, veluti suum ipse foueret malum, ac vulnera retractaret. Domus etiam moderatores, quamuis vera, solidaque niti virtute Olympium scirent; attritu nihilominùs, hoc est, asperitate quadam verborum probare illum ad Lydium veluti lapidem voluere. In his, alijsque patientiam exhibebat, planè incomparabilem, quam non alibi, quàm in Crucifixi Redemptoris Schola ediscebat. Eius namque ærumnas, supplicia, crucem animo assiduus, ac continenti contemplatione agitabat; ac facile proinde erat, ad eius sese tolerantiæ ideam conformare: planè vt cùm cæteram virtutem, tùm excellentem in primis patientiam à tanto exemplari sibi descripserit.

Olym-

Olympii in Diuam Virginem religio.

Cap. VII.



OÆVA Francisco fuit hæc in magnam Dei Parentem pietas. Nam, vti in loco memoratum est, die Marianis niuibus sacra natus, hausit eam primùm lucem, quàm Deiparæ celebritas consecrabat. Quo quidem ipse interpretebatur, præcipuo quodam studio colendam sibi Cæli Reginam; maturauitque vel ab ipso vitæ crepusculo in illam obsequium; vt videri planè posset, non antea cœpisse viuere, quàm Tutelarem suam colere. Meminimus eius penè ab infantia preces, abstinentiam, ac sacræ ædiculæ, quam à Carmelo nuncupant, cultum: cuius deindè Carmelitæ Virginis, atque Ecclesiæ studium, postea quàm Religioni nomen dedit, retinuit: vt adiret interdum illam, atque ad aram faceret; curabatque sacro instrumento, supellectili, sacrificiorum numero, ac donarijs adaugeri. Qua eius obseruantia excitata mirificè in Carmelitam eam Virginem deuotio, atque eo potissimùm nomine celebrari cepta, quòd Francisco Olympio cordi esset. Cuius etiam gratia erogatæ liberaliùs eleemosynæ: adeò vt paucos intra annos antequam è viuis excederet bonus Senex, elargita identidem fuerint circiter octo aureorum nummum millia, quibus instauratum, laxatumque templum est, vt religioni, pietatique fidelium par esset.

Marianæ dis cultus auctus ab Olympio.

Cre-

Creuit hæc porrò in eo pietas ſupra quàm dici poteſt: atq; inter cætera virtutum ſtudia hæc illi princeps cura, Deiparam colere, communem nempè aram, ac beneficiorum ſcatebram. Præcipua eius ſol nia incredibili animi cultu excipiebat: ac quoad per ætatem, ac valetudinem licuit, eorum peruigilia ſingulari abſtinentia celebrabat, pane, ac frigida contentus. Marianum Roſarium ita aſſidua terebat manu, vt ſemper aliquid piarum roſarum inde decerperet, ac quàm pijſſimè recitaret. Horarias deinde Virginis preces quotidiè pecurrere. Accidit aliquando, vt eas à morbi moleſtia recitare dies quinque nequiuerit; quod illi morbo ipſo, ac peracutis doloribus longè acerbius. At enim vbi conualuit, ſarcire confeſtim damnum viſus; atq; vno, eodemq; die illas quinquies eximia quadam pietate recitauit: nempè qui diù eſuriit, facta deinde cibi copia, ac fame acriùs vellicāte, neſcis, largiùs comedat, an auidiùs. Cùm ſancitum à noſtris eſt, vt poſt veſpertinam rerum diuinarum meditationem, implorando Dei Matris patrocinio, Litaniæ vnà ſimul ad eius aram canerentur; eo quidem ſenſu gratulari Olympius viſus eſt, vt exundaret vultu lætitia: ac iucundiſſimum planè erat, dum deinde recitarentur, illū, eiuſque corporis habitum, atque externam religionem intueri. Nam prout affici ad eas Diuæ Virgi. appellationes, atque elogia ſentiebat, nunc caput profundè demittere, nunc humi proſterni, nunc cęlum flagrantiſſimo quodam affectu ſuſpicere videbatur: & quòd frequens admodum erat ea præſertim corporis abiectio, atque inde inflammari plus nimio vultum contingeret, iuſſus abſtinere. Nuſquam autem vehementiùs afficiebatur, quàm cùm

Horarias Marianas preces quinquies recitat eodem die.

Litanias quo ſtudio recitaret.

ea verba pronunciaret: Virgo fidelis: quæ; dum Litanias priuatim diceret, iterare solitus erat: ceu indicare vellet, magna quidem de Deiparæ fide sibi polliceri, atque excitari tùm ad petendum: quando eam esse Virginem sciret, quæ simul & promitteret largè, & præstaret largiùs fidem. Præterea quicquid diceret, faceret, scriberet, præire Mariæ appellationem, & cultum volebat. Literas ea vt plurimùm subscriptione consignabat; Franciscus indignus Iesu, & Mariæ Seruus. Si quispiam aliquãdo interrogaret, vt se haberet? rectè quidem, aiebat, ad Dei obsequium, & Beatissimæ Virginis. Ad cuius obseruantiam, pietatem, cultum quicquid pertineret, mirùm, qua alacritate obiret. Semel quòd nescio quos è sua cellula flosculos poscenti, ornandæ, videlicet, Marianæ aræ, non statim respondérit; ea sepulsari religione, morsuque sensit, ceu grande aliquod facinus admisisset. Accurrere proindè ad confessarii pedes, ac culpam incredibili quadam vultus, animique tristitia fateri: illud addens, se quidem pro Dominæ suæ amore nullum non incommodum subiturum, ac fore etiam, vt discerpi, atque intercidi minutatim sineret.

E sacris eius imaginibus quascunque domi, forisq; offenderet, nullam præterire, quam non mira quadam animi demissione consalutaret. Quo aliorum intuitus non pertingeret, eò ipse perspicacissimus, ac planè lyncèus, oculorum aciem intendebat, atq; icunculas inibi Marianas venerabatur. Eiusmodi autem effigies si fœdari quoquo pacto contigisset; hoc illi permolestum: tristari, atque etiam indignari. Puluerem ipsemet ab ijs quàm diligentissimè excutiebat, expoliebatque. Visus aliquando in-

mu-

muſcas iraſci, ac imperio agere. Sanctam Mariam, quod Oppidum eſt proximè Capuam, inuiſurus Mariam Argentiam, nobilem fœminam, quæ tùm ægrotabat, adijt. Decumbentem dum pijs de more ſermonibus ſolatur, aduertit, ad quandam Dei Matris Imaginem conuolaſſe confertim muſcas, atque in ejus potiſſimùm vultu non ſine dehoneſtamento inſediſſe. Non tulit vir piiſſimus illibatæ ora Virginis indignè adeò fædari. Sudario confeſtim beſtiolas abegit; tùm zelo quodam actus, illis iuſſit, cauèrēt, ne deinceps ad lectiſſimos eius vultus propiùs accederent. Senſere vim imperii muſcæ. Enimuerò, vti poſtea Argentia, eiuſque familiares retulere, etſi ad imaginis coronidem aduolabant, nunquam viſæ, vt antea, nitidiſſimum illud ſpeculum oris Virginei attigiſſe: planè contra muſcarum pertinaciam, quibus inſitum, eò toties redire, quoties abegeris. Templa itidem auguſtæ eidem Virgini ſacra, quæcumque ſub eius aſpectum caderent, vel ad multa paſſuum millia longè poſita, adorabat venerabundus. In Sanctorum Apoſtolorum cœnobio grad us ſunt in cochleam retorti, ex quibus cùm Diuæ Virginis ab Arcu, celebrioris religionis, ac famæ in agro Nolano templum, ſex paſſuum millibus ab Vrbe Neapoli, tùm ſuburbanum Diuæ Mariæ à Sanitate delubrum libero quodam proſpectu patet. Siſtere hic Olympius, quoties aſcenderet, aut deſcenderet, ac ſuas ad vtrumque Sanctuarium preces fundere, eo quidem ſtudio, ac ſi præſens adeſſet. Diximus eius ſpiritus delicias Æquenſem Viginem à Tauro fuiſſe: huc ille è Neapolitana frequentia ſe ſe recipere, ac non tàm in amœno loci ſitu, quàm ad pedes magnæ Matris vegetare in diuinorū com-

Marianæ imaginis nitori cauet.

Templa Virginis quo honore proſequeretur.

mentatione spiritum solitus erat. Assurgit Aedes hæc Deiparæ celsiore in collis iugo, vt prospectari è longinquo facilè possit: & in Sanctorum quidem Apostolorum, quam modò nominauimus, domo peramplæ quædam fenestræ sunt, vnde Mariana ea ædes intuentibus statim occurrit. Adire huc sæpiùs Franciscus, ac venerari delicias suas consueuerat: planè vt non longinquitas viæ, non interfusum mare prohiberet, quominùs eò spiritu accederet, ac coleret, prensaretque Tutelarem suam. Id illi semel accidit, quod quædam Deiparæ in illum beneuolentiæ illecebra videri potuit. Aegrotauerat Neapoli, ac morbi reliquiis debellandis, opportunum medicis visum, vt cælum mutaret, atque ad Cocceianam oram maritimam, suburbanam eam quidem, ac saluberrimam secederet. Igitur exceptus Salazarii, Neapolitani olim regni à secretis domo, à subiectis hortis, atque ab aeris benignitate, aspectuque maris peramœna, quæ in cœnobium modò abiit, incoluntque Discalceati Patres. Hinc illi Picentinæ regionis, ac pelagi tractus se se obiiciebat; vt incurreret statim in oculos & Lubrensis Massa, & Surrentum, & Vicus ipse Aequensis. Verùm quod optasset maximè inoffenso oculorum lumine intueri, nempè Deiparæ à Tauro templum hoc illi negatum: quòd proceræ quædam pinus, quæ in proximis Alexandri Sangrij, Alexandriæ Patriarchæ, atq; Archiepiscopi Beneuētani hortis erant, oppāsis latè ramis, cælum, prospectumque eriperent. Molestissimum id Olympio, cui nihil accidisset iucūdius, quàm eam cernere magnæ Matris Sedem: atque inde augeri mœror videbatur, quòd non montibus altis, sed frondibus, ac vmbra prohiberetur. Eius-

modi

modi autem desiderio dum cruciatur, ecce tibi Sangrius Patriarcha impetu quodam pręcidi pinus iubet: quo quidem amoto veluti Sipario, contemplari liberè, ac deuenerari Patronam suam Dei Seruus potuit: easque deindè principes loci delicias reputauit, quòd pateret inde, vsurparique oculis posset Aequensis Virginis Sacrarium.

Iam, vt effigies, ac templa, ita quicquid Deiparam, eiusque aut nomen, aut cultum vel leuiter adumbraret, peculiari quodam studio prosequebatur. Si quid cærulei in floribus cerneret, statim Marianæ tunicæ similes eos affirmabat; atque adeò ad eorum aspectum exhilarari, eosque intimo complecti affectu videbatur. Nihil æquè in pretio habebat, quàm Rosmarinum, à quadam, videlicet, nominum allusione. Nam quam Neapolitani Rosam marinam vulgò nuncupant, ipse Rosam Mariam appellabat; sicuti Iesuminum florem, Iesu meum, dempta ab vtroque nomine litera N, quæ cum sit negationis nota, ac typus, hinc ille pulchrè, festiuèque dicere solitus erat, cùm Matrem, tùm Filium, hac litera, quæ pernegat, carere; quòd neuter negare sciat, quę postulentur. Porrò Rosmarinum ea etiam de causa commendabat, quòd singulis quibusque Deiparę diebus festis floreret: veluti eo florum obsequio celebraret, ornaretq; pro modo augustę Virginis solennia. Planè non id Rosmarino ingenium, vt Marianis diebus floreat: at quod in Olympij testula, ad eius nempè fenestram erat, quod ipse irrigabat, excolebatque non tàm manu, quàm affectu in Diuam Virginem, obseruatum dedita opera à plerisque è nostratibus fuit, qualibet luce, magnę Matri sacra, florere solitum. Id quod ingenti

Quicquid Dei Matrē repræsentaret, in honore habet.

Rosmarinū Marianis solennijs floret.

qui-

quidem admirationi seruiebat. Et videbatur planè intima Francisci religio nescio quid tepentis fauonii plantæ afflare, illamque erudire in flores: Cumq; is in festa Virginis die magnoperè gauderet, diceres, eius quodāmodò exemplo prouocatā, ridere Rosmarini testulam, eò pulchriùs, quò intempestiuiùs. Hoc deinde Rosmarinum, elato Olympio, Francisco Concubletæ, Arenę Marchioni, quem aliàs appellauimus, dono datum: quiquidem, vtpote Dei Serui studiosissimus, mirum, quàm gratanter munus acceperit; coluitque incredibili studio, ac surculis aliis, atque aliis propagauit: tùm morbis etiam persanandis distribuere non sine pręsenti fructu cœpit. Quod verò ad flores attinet, aduertit ipse, atque è familia satis multi non quidem omnibus, sed plerisque Diuæ Virginis solennioribus feriis, alieno; scilicet, tempore, floruisse: quod iuratus ipsemet Marchio apud Iudices affirmauit, relatumque in acta est.

Olympij perfugium Dei Mater.

Porrò qui vnicè sanctissimam Dei Parentem venerabatur, ad ipsam, veluti ad certissimam sui tutelam, sacramque anchoram confugere solitus erat. Si quid internę ærumnæ discruciaret, hanc implorare: à cælestium deliciarum inopia aridę, sitientique interdum animę hinc medullam quandam spiritus, ac gaudiorum annonam affundi sentiebat: hinc mentis tranquillitatem, cùm à scrupulis fluctuaret. Par in illam fiducia, ac præsentis auxilii experientia, cùm corporis incommodis, morbisque laboraret. Preces, hymnosque Virginis, tùm eiusdem effigies, corollas, grana piacularia, ea esse lectissima pharmaca reputabat. Diuexari peracerbis laterum doloribus consueuerat: bis pręsertim visa

eius

eius salus ab eiusmodi vi cruciatuum conclamata, Semel Neapoli: ac tùm quidem à pernobili matrona Zenobia Pignatella, Cerchiarę Marchionissa missum illi oleum fuit è Diuę Marię ab Arcu lampade. Eius tùm in Cęli Reginam affectus, alloquutiones, lachrymas nullus profectò explicauerit: inunctusque ea fiducia est, vt pręnuntiauerit sequuturam mox incolumitatem, recitato statim ad gratiarum actionem hymno Eucharistico, veluti iam beneficiũ acceperit, quod post paulò cõtigit, mitigata, ac mox penitùs euanescente doloris contumacia. Iterum Vici eadem ęrumna vehementissimè correptus: pulsabatq; vsque adeò mali vis, vt attineri lecto minùs posset: cellulam inambulabat, vt doloris sensum motu falleret. Scilicet, leuamentum nonnisi à Deipara petendum illi erat. Quocirca consopiri nonnihil dolorem tùm quidem sentiebat, cùm caput cuidam Lauretanę Virginis imagini admoueret. Quod ipsemet liquidò significauit. Siquidem cùm Patres exhaustum viribus bonũ Senem extra lecti quietem non sine corporis dispendio, ac fraude morari, existimarent, monerentque, vt decumberet; parebat quidem ille, sed conqueri peramanter videbatur, quòd suum sibi refrigerium inuiderent. Quod sanè refrigerium Lauretana ea Virgo erat, cui innitebatur, & quę est infirmorum salus. Etsi profiteri palam solitus erat, affectum identidem se non exigui quidem momenti beneficiis à magna Matre: illique acceptum referebat, quòd semel præcipiti curru non interceperit, atque obtriuerit pedem rota: quòd in foueam aliquando non deciderit: quòd percitus æstro quodam equus, ad terram nõ afflixerit, atque eiusmodi alia

Id

Id illi in promptu, recitare communem illam ad Deiparam precationem, nempè, Salue Regina. Mira quidem aliquando eius vsu impetrasse; ac stetisse ingruentes imbres; patuisse portas, quæ plurimorum industriam, ac vim fatigauerant; explicatos nodos penè inextricabiles; amissa momento reperta; reuocata in mentem, quæ memoria exciderant, atq; id genus alia euenisse, pro comperto habemus. Semel exteros quosdam adstrepere domi plùs æquo, audiuit; & quòd religiosorum hominum contubernium forenses eiusmodi cõfabulationes dedecerent, nec auderet ipse monere officij, ac loci viros, ad Deiparam confugit; ac recitata, quam diximus, oratione, visæ mox siluisse turbæ, ceu non tàm preces concepisset, quàm silentium colloquentibus imperasset. Illud sanè non dissimulandum. In vetere Sanctorum Apostolorum templo noctu fures, emisso è clatrata quadam fenestra vnco, argenteam non exigui quidem ponderis lampadem, quę ad Conceptæ sine labe Virginis aram ardebat, surripiunt. Patres nihil communis industriæ, atque operę prætermittere, vt paterent furti auctores, ac suam sibi rem vindicarent. At Franciscus, quem maximè illibatę Virginis iniuria tangebat, ad eandem ipsam confugere; recitauitque non semel Salue Regina. Neque mora: insequenti mox die proditum furtum. Casu namque accidit, vt puer quidam, satellitis filius publicas Neapolitanas scholas adiret, auersa nimirum parte, quò nullus vnquam mortalium adire consueuerat, & vbi, secretiore nempè in loco, superiore nocte lampadem fures consepeliuerant. Igitur nescio quid lucidi diuerberare ibi pueri oculos; ac dum vestigat, aduertit, summam argenteæ cate-

Familiaris Olympio oratio, salue Regina.

Qua multa impetrat.

catenulæ partem extare è terra: siue festinatio, ac impetus is fuit, qui malè ministrat omnia: siue terra ipsa id piaculi tegere, ac patrocinari sacrilegio noluit. Ad patrem, qui non longè aberat, rem detulit puer: & is quidem, vbi virum quendam, stantem è regione, atque è superiore loco, veluti excubantem vidit; vt peracris est in eiusmodi coniecturis satellitum natio, suspicari haud ex vano cœpit, illum furti reum. Nec multis: ex inopinato adoritur: statimque pallor, tùm aperta confessio crimen prodidit; ac restituta Marianæ aræ lampas. Cuius rei monumentum, quòd Diuæ Virgini acceptum referret beneficium, extare tabellam Olympius voluit; de cuius in hanc potissimùm Conceptæ Virginis imaginem obseruantia, cultuque diximus abundè aliàs.

At enim qui tanto animatus studio erat in sanctissimam Dei Matrem, alios etiam ad hanc pietatis partem inflammari, nimiùm quantùm cuperet. Visus, industriam huc omnem, studia, vigilias contulisse. Monitis præsertim, atque adhortamentis id potissimùm intendebat, vt Marianum amorem accenderet, amplificaretque. Id quod satis, opinor, ex iis, quæ sparsim retulimus, compertum. Locum quendam non hic planè omiserim, vnde ipse efficacissimum petere argumentum solitus erat, pietati in magnam Dei Parentem ingenerandæ, aut fouendæ. Dicere namque consueuerat, Cœli Reginam vsq; adeò suo in nos patrocinio propensam, ac pronam, vt vel ipsa, quæ somniamus infortunia, hoc est, vmbram, atque inanem ipsam infortuniorum imaginem depellat. Nam quid putandum cum veris incommodis agere, quando non quidem

D Virgo vel dum somniamus, clemens.

Oo læden-

lædentes, sed ludentes in somno ærumnas propulsaret? Hoc autem eó opportunè confirmabat, quod Clementi Alonso accidit, viro ex nostratibus absolutissimæ virtutis, qui in Sanctorum Apostolorum cœnobio, dum rem ibi comnunem procuraret, anno vertentis seculi quarto decimo insigni cum innocentiæ fama desiit viuere. Natrabat igitur Olympius, Alonsum nocte quadam somniasse, nescio quid eruditæ scriptionis, quam magno quidem æstimaret, se amisisse. Anxium proinde, atque oppidò sollicitum tristari vehementer per somnium cœpisse. Inter ea phantasmatum mendacia adstitisse Diuam Virginem, excussoque brachio, excitasse ijs verbis: Quid angeris, Alonse? scito, non amissa ingenij monumenta, sed somnium id esse. Expergefactum hinc illum, agnouisse, clementissimam Clementi fuisse Tutelarem Virginem, vt neq; somniando permiserit cruciari. Quod quidem incitatione quadam animi incredibili deprædicabat Frãciscus, atque eiusmodi argumentis mortalium animos occupabat, incendebatque in Angelorum Reginam illorum studia. Illud etiam, cùm de Virgine sermo erat, suadere piis hominibus solitus erat, vt Dei filij, Matrisque Dei precationes inuicem aliquando commutarent: ita vt Salutationem Angelicam filio: orationem Dominicam Matri recitarent. Gratam nempè vtrique mutuam eiusmodi precum communicationem, nec sine interiore quadam spiritus illecebra, voluptateque contingere.

Porrò in cœteros Cœli Ciues eximium item illi studium, ac obseruantia: vt recurrente anniuersaria eorum memoria, nullum præterire sine peculiari

ani-

animi cultu sineret. Ornare floribus, ac lemniscis eorum effigies, excitandæ aliorum pietati, in more habebat; seponebatque iis celebrandis, colendisque stata quædam diei tempora. Quos verò præcipua quadam religione prosequeretur, ij erant Apostolorum Principes Petrus, & Paulus, quorum ærumnis, ac sanguine fundata in Principe terrarum Orbis parte Christi fides: Diuus Ioseph, purissimus purissimæ Virginis Sponsus: Diuus Franciscus Assisinas, Christi vulneribus dignatus, ac viuus Martyr: Diuus Carolus Borromæus, aliique, quorum syllabum penes se habebat, recitabatque quotidiè, atque eorum festos dies abstinentia, ac precibus extra ordinem excipiebat. Sed neque dissimulanda in nostrates etiam pietas, quam sibi exaugendam persuadebat, quòd domestica ea esset sanctimonia, atque ad se potissimùm veluti hæreditario quodam iure ea pertineret religio. Colebat siquidem intimè Sanctissimum Ordinis Parentem Caietanum Thienæũ, Apostolici spiritus Virum, ac priscæ paupertatis, cui ipse addictissimus, assertorem: & B. Andream Auellinum, quem ipse abundè nouerat, miratus non semel incitatissimam eius in Deum, in proximos charitatem. Cùm aliquid à Deo peteret, eorum in primis patrocinio vtebatur, vt faciliùs impetraret: id quod liquidò commostrauit, cùm laboranti à graui morbo Mariæ Paladinæ, Campi Marchionissæ vnà cum B. Andrea se se obiecit, ac suæ incolumitati restituit: vt in loco exposuimus. In eorum Apotheosi visus mirum in modum gestire, efferri; quòd cerneret, publica inaugurari religione, quos ipse incredibili studio venerabatur. Neapoli præsertim aderat, cùm adscriptus Beatorum numero Auellinus,

In Cœlites alios religio.

dem appellare vocabulo non dubitabis. Stratus humi ad animi demissionem, & vt efficaciùs impetraret, orare plerumque solitus erat. Et Arenæ quidem Marchio vidisse se illum eo corporis habitu ad horæ dimidium non semel, præsertim in difficillimis Marchionissæ coniugis puerperiis orãtem, testatur: cuius precibus partus etiam incolumitatem acceptam ferebat. Familiare item illi, brachia crucis in modum extendere, ac diuina meditari cruciformẽ. Ac semel quidem visus in sanctiore hebdomada, pendentibus mirè brachiis, geminæ adstare missæ, in quibus Christi Domini Passio perlecta: planè nisi ardens quædam vis animæ robur, alacritatemque suffecisset, non ea erat Francisci facultas, quæ tandiù eo statu perduraret. Repertus persæpe, dum contemplationi vacaret, cellulæ innixus muro. Fortè sic stare, atque inniti, laxamentum quoddam erat, vbi prolixiùs, aut de genu, aut stratus humi orasset. Attentio verò, ac vis mentis in orando, cõtemplandoque admirabilis in eo fuit. Siue mente, siue voce Deo vacaret, nihil prorsùs erat, quod illũ à præclara animi attentione, ac quiete auocaret. Supra morbos, doloresque peracutos, quibus impeti solitus erat, eius videbatur mentis ardor, atque in orando religio. In grauissima quadam ægritudine sumpturus iam iam pharmacum, visus profundè cœlestia commentari: tùm de cœli gloria plena mellis verba effundere: planè vt amarissima, quæ procul aberat potio, liquidissimæ à precibus dulcedini nihil absynthii molesta cogitatione insperserit. Si quempiam, eo preces horarias recitante, cellam ingredi contigisset, non aduertebat, perinde ac si vt mente, ita & corpore alibi esset. Neque domestica

Quo habitu corporis oraret.

Attentio, & ardor contemplationis.

stica

ſtica interdum ſigna, orationi affixus audiebat. Idque ſanè admirationi erat. Eius cellula propè à cãpanula aberat, quæ ſignum communis refectionis daret; canora ea quidem, vt facilè peruaderet longè, latèque ſonus. Nihilo tamen minùs cœnæ ſignum, nocturno videlicet tempore, quo vox clarior, nunquam is auribus accipiebat: vt moneri, pulſato oſtio, oporteret: tenuitque conſtans omnium perſuaſio, à commentatione diuinorum, ac vehementiore quadam ſenſuum abalienatione id euenire. Conati interdum & mali ipſi dæmones ſtrepitu, aut inſolito quodam euentu orantem Olympium interturbare: cùm interim ipſe eodem in veſtigio immotus, eodemque vultu pergeret. In odèo dum pſalleret, interiore quodam impetu actus, abreptuſque ardore contemplationis, ita affici videbatur, ceu vellet in ſublime èuolare, aut ire alicui obuiam. Eodemque oris habitu, fixoque in cœlum obtutu repertus aliquando ante Euchariſticam aram, orans, ac deliciis affluens, veluti puriore quadam diuinitatis illecebra frueretur. Et extero cuidam Sacerdoti id accidit. Colloqui cum eo Olympiùs de diuinis rebus cœperat: cùm ecce tibi meditabundus, atque exceſſu mentis facto, abire à ſenſibus viſus. Obſtupuit ſacerdos tàm facilem in eo diuinorum guſtum, attentamque contemplationem; & ne ea ipſe careret voluptate, quam, illo loquente, hauriret, violento quodam ictu excitare tranquilliſſimo eo ſomno merſum, oportuit. Id quod non modò inter commentandum, aut ſanctiore in templi parte, aut dum pios ſereret ſermones, illi accidit; ſed domi etiam inter eundum ita animum contemplationi interdum adiiciebat, vt

A ſenſibus abalienatur

aut

aut lachrymis fluere, aut hærere immotus videretur. Fuere siquidem, qui illum in graduum medio; atq; in ipso domus ambulacro interceptum vi mentis, pendentemque ab aliqua Diuorum imagine non semel inspexerint. Rem verò longè admirabiliorem retulit plerisque ex nostratibus Gabriel Maria Lotharingius, sæpè à nobis appellatus, Olympii olim ministerio addictus, eiusque vitæ rationum gnarus; & cui nullum ex mendacio in re tanti momenti pretium. Summa, inquam, fide retulit is; deprehendisse se aliquando Franciscum, cęlestium rerum contemplationi operantem, eo quidem excessu, ac volatu mentis, vt corpus etiam abeuntem animum sequeretur; ac non minimùm quidem, sed quatuor omninò palmos è terra sublatum, pēderet. Ingenti quodam impetu abreptam eam mentem putamus, quam lacinia, ac moles corporis non modò non implicarent, detinerentque, sed eas ipsa sublimes arcana quadam vi raperet. Cœlestibus id corporibus accidit, quorum quod est primum, incitatissimo quodam rotatu ita fertur, vt reliqua sua vertigine circumagat. Quomodo autem mortali hac concretione immixtum, subleuari corpus possit, ij explicauerint, qui in schola diuinæ charitatis eruditi, didicerunt, à vi contemplationis leuitare interdum grauia, ac niueis quibusdam pennis in cœlum euehi.

A terra mirè sublatus.

Iam verò cùm plerisque cœli blanditijs dignatus identidem Olympius fuerit in ipsa rerum diuinarū meditatione, nunquam sanè iucundiore illecebra visus oblectari, quàm cùm spectandum se se illi dedit Puer Iesus. Res ea est grauissimorum hominum ex nostris testimonio comperta, ac testata commu-

ni

ni etiam Neapoli fama; aiuntque contigisse annis ferè quatuor, & triginta antequàm mortalitatem exueret. Orabat is de more in choro ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum: id nempè loci, quem, vti aliàs monuimus, à precandi assiduitate genibus excauauerat; cùm in eius sese conspectum dedit Puer, vulgari quidem cultu, sed quem scitissimi oris gratia, externæq; indolis elegantia nimiùm quantum commendaret. Qui mirè ad hæc veluti puritatis lilia affici sentiebat Olympius, vt vidit, adblandiri illi intimo quodam affectu cœpit: ac mónito, vt signaret se cruce, salutationem Angelicam recitare cum eo voluit. Igitur ventum ad ea verba: Et benedictus fructus ventris tui Iesus: quæ vbi Puer pronuntiauit: Ego sum, inquit, euanuitque. Nescias profectò, quid tùm fuerit in Francisco maius, gaudium ab aspectabili Iesu præsentia, an mæror, quòd citiùs amiserit? At enim nunquam adeò breues deliciæ, amoresque diuini Numinis, quin humana oblectamenta simul omnia lōgè superent. Sunt, qui referant, interrogatū priùs ab Oliympio Puerū, an Mater sibi esset, & quod ei nomen? Respondisse: & esse, & vocari Mariam: cuius quidem nominis appellatio abundè ex se erat conciliandæ Serui Dei in illum beneuolentiæ.

Puer Iesus salutationē Angelicam cum eo recitat.

Porrò id ipsum ad vnguē penè Benuenutæ A Sanctissimæ è Dominicano Ordine Virgini euenisse, historiarum monumentis compertum habemus. Agebat hæc aliquando in templo, cùm puerum procul intuetur supra quàm dici potest, elegantissimum: adeò vt imperare sibi minimè potuerit, quominùs nutu accerseret. Accurrit confestim Ille, ac Benuenuta mirata vehementiùs venustatem, ac formá,

A Ex lit. Sañ. interm. Barry.

Eiusmodi exempla in alijs.


vt

vt aſpectum diutiùs, ac per otium ſatiaret, morari illum verbis inſtituit. Interrogat, an matrem haberet? Ita, inquit puer, Tùm ſciſne; ſubdit illa, Salutationem Angelicam? Scio, inquit, rogauitque viciſſim, an ipſa ſciret? Dum affirmat Benuenuta, rogat ille, vt recitet. Paruit Virgo, atque ad ea verba: Benedictus fructus ventris tui, Ieſus, dicentem interpellat puer: & Ego ſum, ait, ſtatimque euanuit. ᵝ Alteram inſigni ſanctimonia Virginem Cæſarius memorat, cui Ieſus, pulcherrima item pueri ſpecie ſpectandum ſe ſe obiecit: quem dum illa ad ſe vocat, iubetque, vt vnà ſecum Salutationem Angelicam recitet; recitare, nullâ mora, puer cœpit. Sed dum ea ipſa verba pronunciat: Benedictus fructus ventris tui, Ieſus, abrupta oratione, Ego ſum ille, ait: ac Puellam admirationi, venerationiq; immixtam reliquit.

ᵝ Ex Euſeb. Nierimb de amor ſancti, cap. 20.

An verò efficacitas eius orationi ineſſet, impetrādis à Deo beneficiis, mortalium ex omni gradu frequentia, qui ſe eius certatim precibus cōmendabāt, teſtimonio fuerit. Interpellabant quidem domi, ac ſuas quiſque ærumnas, ac neceſſitates Olympio afferebant; vt ſuſciperet patrocinium, eorumque apud Deum cauſam peroraret: tùm excurrere huc, illuc oportebat; euocatum nempè depellendis vi precum morbis, atque infortunijs. Quæ obtinuit beneficia, patrauitque mirâ, ſuo in loco diximus, ac ſingula quandam veluti in claſſem centuriauimus; illuſtriora quidem, & quæ memoratu magis digna: nam omnia fatigaſſent planè calamum. Neque ea hic repetam; ac ſat fuerit innuiſſe, vehementiſſimos febrium æſtus precationum eius præſidio reſtinctos; vlcera inſanabilia

persanata; peracutos, atque inueteratos dolorum cruciatus depulsos; curatos mirè elephantiacos; latera, guttura, capita peracerbè affecta, præsenti ope restituta; instauratum oculorum lumen; puerperas è mortis penè faucibus ereptas; propulsata grauissima, quæ imminerent, pericula; annonam, aurum, aliaque multiplicata; compositos insanientis pelagi fluctus; motus animi, prauarumque cogitationum impetus compressos; amentes, furentesque suæ menti redditos; mutatas perditorum hominum vitæ rationes; abductos ab hominum corporibus rebelles genios, aliosque omnis generis, quà corporum, quà animorum morbos, cladesque strenuè profligatas. Adde ab eadem oratione mentis lumen, quo & futura præuideret, ac arcana ipsa imi pectoris introspiceret: de quibus singillatim modò dicendũ.



Videt

Videt longè posita, ac futura.

Cap. IX.



REQVENS ab studio orationis cum Diuinitate commerciũ, affusa superiore quadam luce mentẽ perindè Frãcisco illustrabat, vt eò sæpiùs pertingeret, quò non oculorũ acies, non peracri iudicio, aut coniecturis suis perspicacissimus quisq; mortaliũ vnquam peruenisset. Peculiare hoc illi fuit: ac visum profectò, ea potissimùm arcanorũ scientia, atque admirabilitate dignari illum voluisse diuinum Numen, vt cresceret hinc illi sanctimoniæ, ac nominis fama, eaq; deindè quàm plurimos ad morum frugem pertraheret. Initium à remotis sumendum: ac multiplex se se quidem offert exemplorum sylua, in quibus enarrandis seligenda ex multis aliqua, & is ordo seruandus, quem promiscua, ac confusa rerum varietas permiserit. Thomas Caracciolus, militari ingenio, ac celebri vir nomine, quo tempore à Carolo Emmanuele, Sabaudiæ Duce illatum Genuensi Reip. bellum est; præerat supremo iure Genuensium copijs: & quæ est armorum alea, collatis aliquando cum hoste signis, ita res improsperè cecidit, vt captus ipse, plagam fecerit luculentiorem. Allatus Neapolim consertæ infeliciter pugnæ nuntius; sed de exercitus Duce, re non dum comperta, varius vbique rumor: adeò vt affirmarent plerique, illum

media in acie confossum, concidisse: Communior verò ea erat persuasio, ac vox; subductum quidem periculo; at latere adhuc, quo se loci recepisset. Anxiam hęc habebant Aureliam Branciam, ornatissimam coniugem: & quæ summo in honore, ac opinione habebat Olympium, conuenire illum statuit, certa, fore, vt aliquid solatij instillaret mœstissimo animo Dei Seruus. Ergo adijt, ac lachrymis, quàm verbis vocalior, dubiam de Viro famam, & quod ipsa gestaret vulnus pectore, aperuit: quam ille bono esse animo, iussit; ac sciret, captiuum quidem coniugem, sed incolumem. Quod ea ipsa die certus nuntius attulit, agnouitque Brancia, vera pronuntiasse Olympium, quæ nonnisi diuinitùs acceperat.

Caraccioli custodiam longè videt

Gratulata sibi Coniugis salutem hęc ipsa Aurelia, ad quandam grati animi significationem mittere Francisco, nescio quam auri summam, statuit, vt ornando *Diuæ Virginis sine labe conceptę* Sacello impenderet: quam quidem summā seruo cuidam, cui nomen Vespasiano Laditto, ferendam dedit, vnà cum D. Francisci Assisinatis effigie, quam nouerat, eidem Olympio percaram fore. Is verò, quæ est famulorum plerumque indoles, nactus inter eundum quandam ludi officinam, abreptusq; ea occasione, ac spe lucri, ludere & ipse occœpit, expertus infestam aleam: mandata deinde, ac dona ad Franciscum detulit: qui quidem, vt illum vidit: promptiorem, inquit, diligentioremque te in dominorum obsequio præstare, æquum esset; neque diuertere ad ludum debueras. Iam quo tempore exequenda imperata sunt, si perges ludere, perges perdere.

Et Serui culpam,

Sed

Sed age, gratijs de eximia in me beneuolentia Dominæ peractis, mone illam à meo nomine, Caracciolum coniugem breui libertati restituendum, ac fore, vt ipsa die, piorum defunctorum memoriæ sacra commutentur captiua inuicem capita: nempè vt meminerit, cruciatos peracri igne Manes pijs officijs, ac ope iuuare. Obstupuit vehementer seruus, quòd is & ludum suum, & à ludo iacturam sciuisset. Quod verò ad Thomam Caracciolum attinet, assertus in libertatem est, ac iussus abire, qua die Olympius supernè edoctus, prænunciauerat; vt tetigerit, vt aiunt, acu rem.

Est adhuc, quod in Aureliæ Branciç, ac Caraccioli domo adnotemus. Filia ijs erat, Maria nomine, quam collocare in matrimonium Cæsari Ferrao, Sanctæ Agathæ Principi, viro à fortunæ bonis instructissimo, cogitabant: ac dum res vltrò, citròque transigitur; moræ primùm, atque impedimenta oborta; tùm abruptum omninò negotium. Quod Aureliæ molestissimum accidit; atque ad Olympiū, suum nempè in ærumnis perfugium, vt conceptam inde tristitiam Viri Dei verbis leuaret, confugit. Ille corollam Diuæ Virginis è sinu profert: Et hanc, inquit, Mariæ dabis: recitet quotidiè, quoad hæ nuptiæ contrahantur: Cumque repeteret Brancia, matrimonium ita diductum, vt iam nulla spes esset eiusdem conficiendi; Hoc agat, ait Olympius, recitet, quoad perfici contingat. Igitur, paucos intra dies confecta res est. Viderat nempè ille, haud longè abesse, quod alij futurum pernegabant. Et Mariæ Caracciolæ nuptias

Eadem mentis acie præcipuæ cuiusdam fœminæ domum peruasit; inspexitque è longinquo, quæ dominam ipsam laterent. Fuit hæc Beatrix Seripan,

panda, Leporani Princeps, quæ nacta aliquando vacuas Francisci aures, explicare illi per otium vitæ suę rationes, & quæ exerceret studia pietatis, cœpit; nempè, vt pergeret, si Vir adeò pius ea probaret; ac monita etiam hauriret ad spiritus progressiones. At ille, etsi satis piorum operum enarrasse nobilis matrona videri posset, visus non adeò ijs capi: ac neque probauit, neque improbauit: sed vultu, qui ad quandam seueritatem flecteret: Cura, inquit, Princeps, familiam: hæ tuæ partes, ne quid exorbitet, peccetque domi licentia; præsertim qui tuis est à confessionibus, consule. Ad hæc illa: se quidem pro modo aduigilare, ac scire, familiares suos ad Christianæ disciplinæ normam viuere. At Franciscus eadem etiam, atq; etiam inculcare, de domestica quidem disciplina oppidò sollicitus: adeò vt suspicari vehementer illa cœperit, aliquid esse domi clandestini operis, quod peracutus Olympii oculus cerneret, atque emendari vellet. Igitur inter hæc animi turbamenta dum versatur Seripanda, nuntiatum illi, quandam è suis famulis è secretiore domus parte miscere cum Viro solitam vltrò, citroque colloquia, non sine pudicitiæ labe: agnouitque tùm Princeps, meritò familiæ custodiam adeò commendasse Dei Seruum; atque id potissimùm iussisse, vt confessarium consuleret. Nam ea erat improba puella, quæ externa pietatis specie, ac modestiæ larua confessarium ipsum deceperat.

Clandestinam puellæ familiaritatem videt.

Admirationi item fuit, quod Ioanni Baptistæ Palumbæ ex nostris accidit. Miserat Francisco Nicolaus Herrera Apostolicus Neapoli Nuntius nescio quid pecuniæ, ac cereas quasdam faces, vt Marianę à Carmelo ædi, quam diximus aliàs, ad ligna-

rio-

riorum viciniam sitam, vsui essent. Is verò accersitum Palumbam, rogat, vt ad Carmelitam Deiparȧ dona ferat; qui quidem dum iret, ne socium eo cereorum pondere grauaret, vsus pueri cuiusdam opera, mercedem deindè illi ex eadem pecunia, quam Diuæ Virgini ferebat, soluit. Inconsulto quidem Olympio licere id sibi permiserat, putabatque clam illo fore rem. Itaque vbi domum reuertit, egit quidem Franciscus gratias quàm maximas: sed simul monere illum verbis, ad omnem comitatem, ac beneuolentiam compositis cœpit. Esset nempè magnæ Dei Matri fidelis: nihil de eius donariis, & quod illi iam sacrum, decerperet: si quid posceret occasio, suppleri aliundè posse. Perculit enimuerò inopinata obiurgatio Palumbam. Nam nisi diuinitùs, ac superiore quodam lumine id illum scire potuisse, nec fingere sibi animo poterat. Et decerptam Deiparæ eleemosynam

Par eundem Palumbam stupor iterum defixit. Exeunte Aprili mense anni voluentis seculi trigesimi, monet illum Franciscus, iret ad neptem suam, eique puerperium gratularetur, editamq; in lucem virilis sexus sobolem. Negare ille, contingere id potuisse, quando de consanguineis non ita pridem audiuisset, fore, vt illa non ante mensem sese partu exoneraret. At tu, inquit, Olympius; facultate Præpositi impetrata, abi, ac scias peperisse. Dum iret, ecce tibi puerperæ coniux, qui nuntiaret, hesterno vespere enixam illam quàm felicissimè fœtum. Sciuerat maturiùs Franciscus à diligentiore quidem nuntio: indicauitque, nulla adeò remota, quæ non attingeret illustrata cęlitùs mens. Cuiusmodi & illud fuit. Filiam ediderat Portia Rubea, pernobilis fœmina, Francisci Bononiæ coniux. Et neptis partum.

Quæ

Quę è baptiſmi fonte ſobolem ſuſciperet, Anna Carafa, Hoſtiliani Princeps, Medinæ Ducis, Neapolitani Proregis coniux delecta: qui ſacro latice intingeret, Franciſcus Olympius: ac condicta baptiſmi die, monendus Franciſcus fuit, qui Vicum tùm quidem ſeceſſerat. Et is quidem ita annuit, vt cùm nonniſi poſtera luce, pridie nimirum eius diei, quo ablui ſolenni ritu puellula debuerat, adire iuberetur: maturata nihilominùs profectione, eadem ipſa die, qua monitus fuerat, eademque cymba, quam miſerant, regredi Neapolim voluerit: planè præter Viri indolem, cui à quadam mora ſua inerat maturitas; & qui in eiuſmodi præſertim celebritatibus, vt obſequii promptus, ita erat à ſui deſpicientia, atque humilitate lentus. Et quidem Vitalis Concubleta, Sacerdos ex noſtris, qui ad illum venerat, vt deduceret, id omni ope contendit, vt perſuaderet is ſibi, haud feſtinato opus eſſe, atque abundè fore, ſi altera die diſcederet. At ſurdo hæc: eaque repetebat: eundum nulla mora, ſic rem poſcere: eodemque penè in temporis veſtigio, quo aduenerat cymba, remetiri iter oportuit. Nihil profectò eius aduentu opportunius, ac iucundius tùm fuit. Enimuerò Anna Carafa, quæ diem condixerat, quæ fuerit rei cauſa, anteuertere deinde illam ſtatuerat: & quòd adeſſe in tempore Olympius nequiret, nimiùm, quantùm moleſtum id, tùm Portiæ, tùm Claudię Carafę, eius ſocrui, ac Viro acciderit. Triſtari, angi ſupra modum: Cum ecce tibi adueniſſe ex inopinato Olympium, eo quidem animi ſenſu audiunt, vt neſcias, maior illis admiratio, an voluptas fuerit? Planè, expenſa re ſeriò in eam omnes iuere ſententiam, agnouiſſe Franciſcum, vel abſen-

Inopinatam quàdam mutationem pręuidet.

absentem, eam temporis anticipationem; tristitiam præsertim, ac peracre illustrium fœminarum desiderium: vtque illarum affectui responderet, mœroremque abstergeret, quem à sui absentia cõceperant, iter festinasse: ac cupidè quidem exoptatum, non expectatum Neapolim peruenisse. Id crebris postea sermonibus in ea domo, repetita admiratione, vsurpatum. Atque illud etiam narrare consueuerunt, Franciscum, vbi puellulam ritè abluisset, puerperam adhortatum, vt illam Diuæ Virgini cõsecraret; eamque respondisse, se quidem ita magnæ Dei Matri sobolem offerre, vt religiosam etiam peruellet: ac tùm quidem constanti quadam voce Olympium pronuntiasse, Erit, erit: hodieque inter sanctimoniales percelebris Asceterij, cui à Trinitate nomen, cum laude agit nobilis Virgo.

Atque eiusmodi quidem vaticiniis nihil in eo frequentius fuit, vt diuino profetiæ munere, quam gratiam gratis datam Theologi nuncupant, nõ caruisse, innumeris penè prædictionibus luculenter ostenderit: iuuatque ex iis aliquot ad specimen hic enarrare. Hieronymus Albertinus, sancti Seuerini Princeps, florentissimus iuuenis, idoneus iam, ac par thalamo, differri diutiùs tædas, ægrè nimiùm ferebat, eò vel maximè, quòd quæ agitaret connubia, abrũpi fato quodam viderentur. Igitur implorandam Olympij opem, ac precum vim duxit; rogauitque Dominicum nostrum Dicastiglium, suis à confessionibus, vt illum ea super re interpellaret: cui quidem Franciscus: bono esse animo, iube Albertinum. Nam sponsam sua in domo reperiet. Nec multis; breui fato cõcessit sancti Marzati Marchio, cuius coniux è gente item Albertina, ac Sancti Seuerini Principis

Præuidet Albertino Sponsam.

consanguinea, data illi in matrimonium: atq; adeò non extra domum quærenda vxor fuit.

Ioannam Austriacam piissimam Principem meminimus, instituta in Siciliam velificatione, sæua quadam tempestate perculsam. Hanc autem prænuntiasse Olympium, non hic dissimulandum. Igitur quæ nouerat Austriaca, nihil æquè furere, ac pelagus, atque enauiganti semper in promptu esse vitæ aut tædia, aut pericula: antequàm Neapoli discederet, consalutare Franciscum voluit, atque eius se se orationi commendare. Ille pollicitus quidem preces: at nescio quid improsperi itineris prædiuinare animo, ait. Sisteret proinde Princeps, acdaret monitis aures, datura melioribus deindè auris vela, cùm commodius affulsisset sydus. At enim, quæ discessum iam adornauerat, eratque in anchoris triremis, monenti parere non integrum fuit: ac soluit, bona spe freta, fore, vt Olympius ipse procellam, si quam fortè oboriri contigisset, suis precibus difflaret. Falli quidem Dei Seruus optasset. At Salernitano in sinu, non vno planè naufragio nobili, ea ventorum vis ingruit, vt euerso à fundo mari, nil propiùs fuerit, quàm sorberi fluctibus triremem, vbi Ioanna erat; diffractis nempè armamentis, ac diluta, disiectaque penè carina: puppi duntaxat salua, vbi quandam Olympij effigiem ad præsidium appenderant. Didicit re ipsa, ac malo suo Austriaca, monitum interiore Numine Olympium: attamen quòd incolumis euasisset, eius cùm imagini, tùm precibus acceptum retulit. Sedatis mox fluctibus, compositis ad Margaritam Austriam Brãcifortem, Buteræ Principem, filiam Neapolim literis, illam, & naufragij, & salutis monuit, iussitque, vt

Et pelagi tempestatem.

vt certum hominem Olympio allegaret, qui illi à ſuo nomine gratias haberet, quòd præuiſum ſuperiore intuitu infortunium, præſenti deinde orationis patrocinio euertiſſet. Et Franciſcus quidem, antequàm nuntius procellam meminiſſet, ita illam anteuertit, vt ſcire ſe quicquid à mari incommodi accidiſſet, diſertè ſignificauerit, ceu præſens interfuiſſet; eadem nempè mentis luce remota intuitus, qua futura præuiderat.

Cautior, quàm Auſtriaca Franciſcus Cõcubleta, Arenæ Marchio fuit; ac faciliorem Olympii dictis aurem præbuiſſe, non eum ſanè pęnituit. Quo tempore Petrus Gironius, Dux Oſſunenſium Neapolitani Regni vices adminiſtrabat, decreuerat Marchio, adornata à Prorege in barbaros maritima quadam expeditione, vnà cum pleriſque è præcipua Neapolitana nobilitate, quos abripuit impetus gloriæ, claſſem conſcendere: & qui valere intimo quodam lumine Olympium nouerat, explorare eius mentem ſtatuit. Qui quidem ita muſſare, atque addubitare viſus eſt, vt non obſcurè innueret, præclarè cum eo actum iri, ſi conſilium mutaret. Sed is, quamquã pulſabat non mediocriter animum ea vaticinatio: tamen quòd prouecta altiùs res eſſet, ac vereretur maximè, ne id inconſtantiæ, aut ignauiæ verterent, retinere ſuſceptam ſemel mentem conſtituit. Sub ipſum verò diſceſſum ita de eius incolumitate ſolicitus Olympius fuit, vt monitum apertè voluerit, vt omninò ſubſiſteret. Hanc nimirum Dei voluntatem eſſe: fore, ſi pergeret, vt in maxima ſe ſe pericula, ærumnaſque indueret: caueret proindè in tempore, ne ſerò deindè ſaperet. Quæ Viri Dei denuntiatio, quòd manare ab afflata diuinitùs mente,

Arenæ Marchioni incommoda prædicit.

cognosceret, altiùs in Marchionis animum descendit; atque ita paruit, vt transmarinæ expeditionis consilium statim abiecerit. Et verò is fuit postea rerum euentus, vt quàm verissima cecinisse Vatem, Concubleta intellexerit: habuitq; vnde grates Deo redderet, quòd ea voce tot se se periculis subduxerit.

At enim consultam in Olympio futurorum mentem nullus Angelo Maria Verricello ex nostris luculentiùs cognouit. Anno vertentis seculi sexto, & trigesimo destinari in Georgiam nostratium manus debuit: erectusque in eam spem Verricellus, enixiùs petiit, excolendis remotissimis eius Regionis noualibus allegari. Verùm, quæ locum iam occupauerant aliorum postulata, lusere eius spem, ac vota. Igitur qui acriore quodã desiderio adeundi barbaras terras deflagrabat, implorare Olympii opem, ac preces constituit, vt cooptari inter illos saltem cõtingeret, qui subsidiaria deindè manu expeditionem non post multò adauxissent. Et is quidem, complexus intimè Viri impetus, ita illos prolixè probauit, vt non obscurè innueret, non diutiùs ipsi expectandum; sed quàm primùm cum eadem ipsa Patrũ classe, qui traijcere tùm quidẽ ad Orientalem Iberiam parabant, fore, vt & ipse velificaret. Visa res Verricello planè vltra fidem: quando præscriptum ab Augustis Patribus capitum numerum impleuerant iam viri impigri, propè diem discessuri. Sed Franciscus nonnisi cœlo dictante, ea pronuntiauerat; eòque adamussim euenere. Enimuerò Hieronymus Carafa, ex eo numero sacerdos, à præclaro quodam ardore animi par muneri, cùm iam Neapoli Messanam peruenisset, vt in Orientem; suamque in Spartham transmitteret: excitata ab intem-

Et Verricello expeditionem Ibericam,

tempestiuo consanguineorum affectu procella, ac vento veluti reflante, quam induerat mentem, mutare, ac remetiri Neapolitanum iter coactus est: successusq; illi Verricellus, gratulatus magnoperè successum ex insperato habuisse Olympij hausta cælitùs verba.

Cuiusmodi prędictionem, ęquè profectò ab euentu admirandam, is ipse ab eodem Dei Seruo mox audiuit. Etenim lectus ad id disseminandi Euangelij munus, ac iam iam discessurus, adire Franciscum voluit, vt eunti bene precaretur, iuuaretque difficillimum iter precibus. Excepit ille quidem gratanter virum, monitisque perhumaniter instruxit: tùm dimisit in ea verba: Constantes estote: videbitis auxilium Dei in vos. Quæ ille dum animo versat, pulsari intimè sensit; veritus, vt in eo consilio duraret: quando constantiam commendasset Olympius. Eapropter redire ad illum statuit, exploraturus, an eandem constantiam meminisset. Et ille, ceu nihil afferre accommodatius in rem posset: Constantes, inquit, estote: videbitis auxilium Dei in vos. Mira profectò res dictu: Vix Neapoli soluit Verricellus, cùm fluctuare animo cœpit, sensitque nescio quid ingeri tacitæ pœnitentiæ: sed qui iam præmonitus; iugulare strenuè eiusmodi in cunis angues, ac pergere. Messanæ visa inualuisse impressio: sed prompta item manus, quæ propulsaret. Apud Zacynthum verò insulam nonnihil præsentis incommodi ita eius animum diuerberauit, vt socijs etiam probare reuersionis consilium contenderit: Sed concepto ex iis vnus præclaro quodam impetu voto, exempli vi cæteros inflammauit. Prouecta deinde nauigatione, obuias habuere triremes Ve-

Et eius animi fluctus.

Venetas. Nutare hic magnoperè Verricellus; sed egregiè luctatus, vicit: vti & in Candia Insula, pulsante itidem peracri redeundi desiderio, accidit. At in ea Insula, cui à S. Vrino nomen, quæ octoginta circiter passuum millibus à Candia recedit, longè vehementior impetus fuit: adeò vt sarcinas iam ad reditum composuerit. Sed adhortante Andrea Sophiano, loci Episcopo, rediit suus menti ardor, ac robur pectori. Constantinopoli verò incredibilis in eo fuit pelagi in morem mentis reciprocatio: planè vt assidua quædam ancipitis animi pugna ea fuerit: Cùm interim Olympii vaticinatio, eaq; potissimùm verba insusurrari ad aures sibi viderentur: *constantes estote.* Illud autem experiri illi contigit; quòd cùm in eo cogitationum æstu animum deindè obfirmaret, ac continuare iter secum ipse constitueret; tunc enimuerò affulgere menti serenitas quædam, atque affundi intimè insolita quædam voluptas videbatur; quo sanè & altera prædictionis pars successum habuit: nempè, *& videbitis auxilium Dei in vos.* Atque hæc ipsemet Verricellus pro testimonio dixit in actis Neapolitanis, vnde ipsi exscripsimus.

Verricelli in hac ipsa ad Iberiam expeditione socius vnà cum aliis fuit Frãciscus Maria Maggius, Panormitanus, qui luculentam item Olympii prædictionem, compositis ad Franciscum Boluitum literis, testatur. Enimuero, antequam is Neapoli Messanam solueret, inuisere Dei Seruum voluit, à quo & precum præsidium, & monita exercendo Apostolico muneri petiit. Et ille, cùm pleraque in rem monuisset; tùm id iussit, vt Messanæ, antequam ad Orientem socii vnà simul vela facerent, suum

Maggio mira etiã prædictio.

suum quisque Apostolum patronum adoptarent, eo nimirum ordine, quo in Diuorum Litaniis censentur, ac seruato inter se se, vti moris nostri est, professionis loco. Instare tùm Maggius: Ecquem putaret ipse, fore sibi Apostolum obuenturum? Tùm is: ò te felicem, inquit, cui dilectus Dei Discipulus continget. Planè non id scire tùm potuit Olympius. Nam cùm mutari subindè socios oportuerit, incertum omninò erat, quinam, maiores, an minores professione sufficerentur. Attamen tributo mox Apostolo cuiq; suo, Maggio Ioannes Apostolus contigit; gratulatusque is sibi est eximium patrocinium, eò vel maximè, quòd diuinitùs Vir Dei prænuntiauerat.

Nescio quid mirabilius nunc annectimus: prædictionem nempè de ornatissimo iuuene, qui Theatinum Institutum eo quidem tempore suscepit; cùm successu caruisse Olympij ea de re vaticinatio, videri posset. Fuit is Carolus Pignatellus, Ducis Montisleonis filius, qui nunc in Ordine studiorũ, ac morum laude cum primis floret. Non dum hic è pueritia enatauerat, cùm regularis disciplinæ mentem concepit; & quamuis propendere in aliam quandá religiosorum hominum familiam videretur; tamen agente Hieronymo nostro Pignatello, eius Patruo, qui tùm Mõtemleonem Vrbem ad Ducem fratrem adiuerat, ea quidem spiritus alacritate, atque ardore annuit ad Clericos Regulares aggregari, vt reuersurus prope diem Neapolim Hieronymus cùm offerri optasset tùm quidem ipse Sanctorum Apostolorum domum cum eo petere, vt remisso maturiùs rebus humanis nuntio, tyrocinium in eo poneret. At renuit Pater: tùm quòd idonea nondum ætas: nam quar.

quartum decimum annum nõdum excesserat: tùm verò, quòd explorandum mora id consilii duceret: cùm aliò illum trahere sua indoles, atque equestribus maximè studiis capi videretur; hisque potissimùm intentus, religiosæ nondum disciplinæ specimen dederat. Neapoli rem omnem cum Olympio communicat Hieronymus; & qui vehementer addubitabat, ne æui flos, genius, viuida naturæ vis illum à proposito dimouerent, rogare etiam, atque etiam Dei Seruum, vt precibus id negotii prolixiùs iuuaret. Et is quidem ea illum spe erexit, vt pia etiam munuscula dederit, quæ Carolo mitteret à suo nomine, idque tanquam fratri. Nam licet, inquit, modò è fratrum censu non sit, olim erit. Quo sanè non obscurè prædixit, fore, vt daret aliquando nostro Instituto nomen Carolus: qui tamen paucos intra menses ad equestres artes, quò suopte ingenio, ac naturæ impetu ferebatur, vehementiùs animatus, visus consilium Religionis capessendæ abiecisse. Id quod & Patruo mox disertè significauit; non sine graui eius animi sensu: etsi qui nunquam fefellisse Olympii dicta, nouerat; ita mutasse mentem adolescentem, existimabat, vt post quendam lætæ indolis impetum certò sibi persuaderet, fore, vt pristinum tandem consilium resumeret. Et verò quatuor post annis, affusa noua quadam diuinitùs luce, dum seculi illecebras, ludentemque rerum humanarum scenam propiùs intuetur florentissimus iuuenis, adornare generosè fugam, ac se religiosę vitę rationibus addicere, secum ipse statuit: idque obfirmato adeò animo, vt cùm tùm maximè preclara, bellici cuiusdam muneris occasio prouocaret, splendidam eam prouinciam, ac spes inde

Carolo Pignatello religiosam disciplinã prædicit.

omnes Dei inuitamento, religiosæque militiæ posthaberet. Vicisse tùm quidem Serui Dei prædictio, videri potuit. Verùm dum is Patri ineundi religiosi Ordinis consilium aperit: Se quidem, inquit, meminisse, non Theatinæ, sed aliæ cuidam Religioni adiecisse priùs animum: eòque primæ se vocationi insistere debere, intelligebat; atque ita secum constanti quodam proposito decreuisse. Patri gratum quidem accidit, rediisse filio bonam mentem; sed mutasse Institutum, haud æquis perindè auribus accepit: vt qui maximè vellet, illum Hieronymi, germani fratris curis, ac beneuolentiæ commendari. Monere proindè, adhortari: nihil esse, cur à Theatinis descisceret, quos ipsemet probauerat aliquando: esse inter eos Patruum; qui omni charitatis genere excepisset, ac cuperet, tam proximũ caput vnà secum esse: meminerit, fidem illi etiam obstrinxisse: promissis non stare, nescire, an fieri sine iniuria possit: denique persuaderet sibi, id fore, & Patruo optatissimum, & Patri. Sed hæc veluti cum munitissima arce, frustra erant: agnouitque Dux Pater, ludere se operam, ac vix impetrauit, vt consilium differret, quoad Hieronymus, qui tũ Panormi morabatur, adesset. Et Hieronymus quidem nihilo felicior Patre fuit: præsentia, auctoritas, momenta rationum id effecere, vt obfirmauerit is magis animũ, ac constantiã quadã etiã verborũ põpa, ac magnificè iactaret: planè vt nullus non intelligeret, actũ iam agi, ac fortiorem adamante Carolum esse, quem vis sanguinis non frangeret. Attamen non se destituit Hieronymus: habere se, aiebat, certiorem propheticum sermonem: Olympij vaticinio nihil luculentius: ad illum nempè pertinere, vt suis con- Et mutata licet mẽte.

 starer

ſtaret dictis fides. In eo verò totus fuit, vt quando inſtaret Conceptæ ſine originis labe Deiparę feſtus dies, ad id vſque Marianæ celebritatis, atque octo conſequentes dies ſubſiſteret domi Carolus: tùm comperta abundè diuini Numinis voluntate, pareret nulla mora ſuæ vocationi. Scilicet, ſolennes hi olim dies fuerant ſuperſtiti Olympio (nam interim è viuis exceſſerat) in iis fore non diſperabat, vt aliquam dexterę Excelſi mutationem cerneret. Annuit faſtu quodā Iuuenis, cui immota prorsùs mēs. At Parentes Duces, cùm rem vehementer optarent, eam nihilominùs omninò conclamatam ab incredibili filii conſtantia reputabant: ac diſertè affirmare, ſe quidē, qui magno in honore habebant Olympium, ſi dediſſe tandem manus filium, vidiſſent, longè quidem maiore in veneratione habituros. Mira ſanè res dictu: Vbi ſacer Conceptæ Virgini dies illuxit, emolliri tacitè pectus, ſe quidem mirante, Carolus ſenſit: ac dum putat, tentari ſtrictim, ac leuiter conſtantiam; aduertit, ſubire in dies animum quid violentius; ac ſimul acre illud, atque ardentiſſimum, quo tenebatur, alieni Inſtituti deſiderium deferueſcere; ſimul non mediocre excitari in Theatinum nomen, ac Ordinem ſtudium. Tegere ipſe pro viribus hoſce animi motus, eandemq; oſtētare intrepido vultu mentē: cùm interim pugnaret ſecū ipſe, ac ſuccreſcētes eas curas elidere conaretur, ne conſilium maturè ſuſceptum, ſtrenuè propugnatum, ad extremam iam manum perductum, ac linguis omnium euulgatum, ſubitarius quidam impetus triumpharet. At enim quod Deus ſuo iam nutu obſignauerat, & Franciſcus prædixerat; nullus vnquam luſerit. Producta quidem vſque ad diem

ſepti-

ſeptimum lucta ancipiti ſemper exitu: cum & va. leſcerent ſubinde impulſus; & depelleret ipſe veluti è muris hoſtes. Nocte verò inſequente ea ſe pulſari vi ſenſit, vt agnouerit, ibi eſſe Dei digitum, cui diutiùs obniti, piaculum putauit. Dedit proindè manus, decreuitque, abiecto, quod hæſerat animo tenaciſ. ſimè, propoſito, Theatinum Inſtitutum complecti. Mane nihil illi prius, quàm Parentes conuenire; ac pugnam, palma m, ſe victum, victorem Olympium fateri. Id quod iis, qui in filio adhortando cona- tus omnes consūpſerant, monſtri ſimile viſum: atq; Olympio plaudere, cuius prædictio ex inſperato, at- queadeò mirè euentum habuiſſet. Eius victoriæ exuuias, nempè Carolum ipſum Hieronymus Nea- polim mox retulit, vbi is inſigni cum modeſtiæ, ac pietatis laude tyrocinium poſuit.

De ineunda Religione inſignis etiam vaticinatio ea fuit. Antii Marchioniſſam inuiſit aliquando Franciſcus, quæ ſeptem omninò filios, quos ſuſce- perat, dare ſe in Serui Dei conſpectum iuſſit, vt is be- ne precaretur: Tùm decreuiſſe ſe, inquit, ex iis duos, nempè Tiberium, & Antonium Theatinis addice- re: quos ille intuitus, apprehenſo comà Antonio, Hic, ait, inter noſtros cooptandus: alterum aliò vo- cat indoles. Quod accidit. Nam ex duobus alter, nempè Antonius, mentem, habitumque noſtri Or- dinis induit. Fuit is Petrus Aloyſius Carafa, Epiſco- pus nunc Tricaricenſis, qui à Patruo Cardinali Ca- rafa, vt antea nomen, ita poſtea Infulas accepit: re- tulitque ipſemet, quod Matri prænunciauerat O- lympius.

Petrum A- loyſiū Cara fam aggre- gandum ad Theati- nos prænū tiat.

In morbis verò, dubioque eorum exitu nullum certius paſſim oraculum, quàm eius, aut dictum,

aut nutum putabant. Prædicente Olympio, elati sæpiùs, quos medicorum iudicia incolumitati restituerant: contrà, conualuere, quos medici conclamauerant: adeò, vt veluti ab eius ore penderet decumbentium salus, diligenter aduerterent, quicquid is, dum ægrotos inuiseret, aut de ijs interrogarent, pronuntiasset. Ægrotabant nobiles fœminæ duæ, altera Isabella Dentice, Vincētij Caraccioli coniux; Beatrix Caracciola altera, Vincentij eiusdem germana soror: vtraque sanè periculosè, affecto nempè gutture, quæ tùm lues Neapoli grassabatur. Cōmendantur Olympii precibus, quod maximè optabant. Et de Isabella quidem hæc ille subtristi vultu Dominico Dicastiglio, eius a confessionibus: *Heu deplorandam flore æui fœminam*. De Beatrice verò quadam oris tranquillitate Antonio nostro Caracciolo, eius fratri: *Bono sit animo*, inquit. Nec multis: illa desiit viuere, hæc conualuit.

Et disparē matronis duabus exitum.

Ab eadem gutturis lue decumbebant filij duo Thomæ de Franchis, regiis à Consilijs: mas alter, sequioris sexus altera, longè intra pueritiam vterq; Mater ijs Delia Pignatella, ad deliquium anxia, quę accersiri Olympium iussit; eique quicquid esset domi gemmarum, vt in cultum, honoremque cederent Diuæ Virginis à Carmelo, obtulit; enixè precata, vt pro filiorum incolumitate preces ad eam funderet. Renuit ille munera; sed vtramque sobolem complexus, conceptaque oratione, hæc statim Matri: *Quid si transferri in cæli areolas, ibique pulchrè florere duo hæc lilia, Deus iusserit? Certè nihil Dei Matri facilius, quam horum salutem impetrare, si vellet: at scias, nolle.* Igitur sequenti mox die vnà simul, vt germanitate, ita & funere coniunctæ abie-

Et Pignatellæ filijs mortem.

re

re ad pauciores animulæ. Sed antequàm obirent; superiore, videlicet, nocte id accidit, quod est in actis Neapolitanis consignatum. Ex iis puella, cui nomen Antonia, matrem vocauit: Et viden, inquit, Franciscum Olympium? Cui cùm non illum adesse, respondisset Mater. Ita, ait, en nunc abit; ac iussit, bono essem animo; fore siquidem, vt insequenti mox die vnà cum germano fratre admitti ad Diuæ Virginis pedes dignarer: ac dicta probauit mox euentus.

Annæ Carafæ, Hostiliani Principi, Neapolitanæ Proreginæ haud gratiora cecinit, concepto diuinitùs spiritu, Dei Seruus. Filium primo loco genitum adhuc in cunis corripi morbo contigit. Accersitus illicò Olympius, qui, vt illum vidit: O te felicem, inquit, fruendis cœli gaudiis natum: addiditque mox illa: Delectatur quidem primitijs Deus: quo sanè cùm Princeps mater, tùm cœteri, qui aderant, haud vitalem fore puerum, interpretati sũt. Nec post multò, morbo ingrauescente, demessuit florem illũ immatura mors. Ad eundem prorsùs modum Iuliæ Caracciolæ, ornatissimæ fœminæ prędixit, fore, vt qui tùm ægotaret filius, in eo ipso vitæ rudimento desineret viuere. Vocatus namque, vt illum vidit, læta quadam fronte, ac subridens. ò te beatum, inquit: Visus nempè ominari puero cœli gloriam, haud fefellit, eo mox extincto. Iuliæ huic filia fuit Violantes Pignatella, Vegiani Princeps, quæ ægrotante itidem in cunis filio, cui Hyacintho nomen, id enixè petiit, vt inuiseret Olympius: Adiit ille, complexusque infantem. non alia semel, ac iterum concepit verba, quàm: O te beatum. Quod argumento omnibus, qui aderant, fuit, breui puerum moriturum; quod accidit. Francisco verò Pigna-

Et Annæ Carafę primo loco genito.

Et Iuliæ Caracciolæ soboli.

tel-

tello, Violantis Patri, & Iuliæ Caracciolæ coniugi lætiora prænuntiauit. Nam cùm is grauissimè decumberet, ac pleraque pro sua incolumitate suscepisset vota; etsi addubitabant vehementer de eius vita medici, constanter pronuntiauit, fore, vt conualesceret, ac solueret ipsemet sua vota. Respónditque euentus dictis.

Et Antistitę Monasterij Cōstantinopolitani. Illa etiam non obscurè prænuntiata, quæ non dissimulanda. Gynęcèum Diuæ Mariæ Constantinopolitanæ Neapoli semel adiit. Loci Antistitam vt vidit, futuræ statim vitæ monuit; hortatus, vt ad illam sese compararet. Planè laborare asthmate solita erat: verùm, vti eæ Virgines testabantur, rectè tùm quidem valebat, ac nihil illi interminari instantis periculi morbus, videbatur: attamen intra mensem excessit è viuis: ac constans in eo Asceterio persuasio fuit, ab eo præuisum fatum.

Et Francisco Vitaliano. Citiùs obiit, prænuntiante Olympio, Franciscus Vitalianus, honesto vir loco. Ægrotabat is, idque in primis optabat, vt inuiseret Dei Seruus. Igitur ad eius cellulam Marcus de Angelis ex nostris, rogaturus, vt adiret: pulsatoque ostio, ac cidere quid insolens ad aures sensit. Nam qui respondere solilitus erat, Deo gratias; conceptissimis tùm verbis respondit. Requiem æternam dona ei Domine. Actum de Vitaliano putauit statim Marcus. Nec mora; eadem ipsa die, perurgente vi morbi, ac festinato nimis exitu extinctus. Idem Marcus de An-

Et Scipioni de Angelis gelis, ægrotante Scipione de Angelis, germano fratre, ab Olympio petiit, vt pro eo ad aram faceret. Cui ille, sat fuerit nunc orasse: nam missæ sacrificium ineunte mox anno, cùm exuere mortalitatem contigerit, pro eius animæ incolumitate offeram.

Exe-

Exeunte Decembri mense hoc accidit; sub ipsum verò Ianuarii initium elatum Scipionis funus; litatumque à Francisco, vti pollicitus fuerat. Supremum item fati diem prænuntiatum Fabritio Hodiernæ, vtroque iure Consulto, euentuque prædictionem comprobatam, testatus ex fide est Ioannes Baptista Hodierna eius filius, Iuris item prudentia Consultus: à quo quidem & id habemus. Anno vertentis seculi altero, & trigesimo peracuta ipsemet Ioannes Baptista stratus febri, eò adductus discriminis fuerat, vt colligeret iam vasa: ac denuntiauerant medici, fore, vt die Februarii mensis quinta, Diuæ Virgini, & Martyri Agathæ sacra, è viuis excederet. Igitur die eiusdem mensis secunda, Purificatæ Virginis solenniis celebri, anxia de Viri vita coniux, prætextam auro vestem, ac cereas quasdam faces Olympio misit, ad eius nempè Carmelitæ Virginis cultum, quam aliàs diximus. Et is quidem munera ornandæ magnæ Matri gratanter accepit: tùm Antonio de Spatio, qui dona tulerat, hęc disertè ait. Hodiernæ à meo nomine salutem nuntia; ac speret Verspertinis horis aliquid à Deo solatij. Schedulam deinde è precum Codice protulit, Diuæ Agathæ nomine inscriptam: Et hanc, inquit, à me habeat Hodierna. Huius Diuæ festum in proximum Sabbatum incidet: illi si se commendauerit, ea ipsa die penitùs conualescet. Ergo vti prędixerat, vespere quidem meliùs habuit: Sabbato verò, hoc est, die D. Agathæ sacra, & quæ medicorũ iudicio perẽptoria, iugulata omninò febri, morbum excussit: reclamante medicinæ arte, ac medicis apertè affirmantibus, supernum aliquod præsidium, ac opem adfuisse, quę febrim, & quicquid est humani adiumen-

Hodiernæ incolumitatem prædicit

men.

menti, atque industriæ vicerat.

Partuum sexum prædicit.

Suppetūt adhuc eiusmodi vitæ, ac mortis vaticinia; sed hæc hactenus. Aliud nūc prædictionis genus delibamus, quod frequentissimū in eo fuit. Id quippe deuotionis plerisque è nobilibus matronis, cùm vterum gestarent, inerat, vt ab Olympio nomen peterent, quod soboli imponerent; ac tùm quidem, si maris nomen edicebat, non dubitabant, marem fore, quem peperissent; si fœminę, fœminam. Qua quidem experientia edoctæ, ad hoc illum non nullæ compellabant, nomenque efflagitabant, vt partus sexum, eo prędicente, pręmaturè cognoscerent.

Roccellæ Principi.

Accidit hoc Dianæ Victorię Roccellę Principi, quæ grauis vtero, ac propè diem paritura, quo partum nomine afficeret, Olympium interrogauit. Et ille: Voca illum Fortunatum, vt fortunet illum Deus. Nec multis: enixa marem est Princeps, appellauitque Fortunatum, qui florente nunc æuo, ac multis animi partibus videtur fortunæ suæ faber.

Lauriæ Duci.

Hac arte Ioannes Antonius Carafa ex nostris, Ferdinandi Carafæ, Laurię Ducis germanus frater hoc ipsum explorauit. Gerente siquidem vterum Anna Maria Palma, fratris coniuge, nomen à Francisco petiit; qui statim: hoc, inquit, partui nomen, Ioannes Baptista. Persuasit illicò sibi Ioannes Antonius, marem fore: nèc sua illum lusit opinio; edito mox in lucem puero, quem eo nomine parentes affecere.

Vegiani Principi,

Nec absimile, quod Violanti Pignatellæ, quam supra meminimus, Iuliæ Caracciolæ filiæ, ac Ioannis Baptistę Sangrii, Vegiani Principis coniugi accidit; nisi quod non vnam sanè prædictionem visa est gratulari sibi nobilis fœmina. Ac primò quidem

quę

quæ fęcunditatem penè desperauerat, Olympii precibus, ac vaticinatione visa non post multò fęcunda. Sub ipsum deindè partum illum de nomine interpellauit; qui, quòd in summo baculo D. Hyacinthi effigiem exprimendam curauerat: en, inquit, nomen. Quo quidem interpretata Pignatella est, maris sexus fore sobolem; quod accidit. Hic deinde Hyacinthus, ceu flos succisus aratro, intra bimestre immaturo satis funere elanguit, vti paulò ante significatum est. Sed repetita vteri fœcũditate, iterum ab Olympio nomen poposcit Princeps: & ille, appellato itidem Hyacinthum. Placuit quidem ea matri nomenclatio, quòd sibi inde persuaderet, marem etiam fore fętũ: verũ quod à recenti prioris filii vulnere nescio quid infausti portẽderet nomen, anxia nonnihil videbatur; verita, ne alterum hunc Hiacinthum decuteret mors. Tunc Olympius: sperandа, inquit, meliora. Nam quando alter cœli deliciis floret, ac perennat Hyacinthus; alter hic parentum solatium erit: quo sanè vitalem fore, significauit; ac superstes hodieque est florentissimus Iuuenis. Porrò quem diximus, baculum, D. Hyacinthi effigie, ac nomine inscriptum, id omni ope contendit Iulia, Violantis Mater, vt sibi Olympius dono daret; impetrauitque: à quo deinde pleraque numerantur beneficia, præcipuè in puerperiis.

De quibus & aliæ à Dei Seruo prædictiones narrantur. Nam Maria Paladina, Campi Marchionissa, quæ morbis aliis ex aliis, vt in loco significauimus, diù implicita, inutilis etiam fœtibus habebatur; Olympii precibus ita conualuit, vt incolumitatem cumulauerit fœcunditas. Partum verò antequam funderet, eo prædicente, marem sibi gratula- Cãpi Marchionissa fœcunda;

tulata est Marchionissa: quod & euentus comprobauit. Iosephi Battinelli coniux à difficillimo partu laborabat, ac nil propius erat, quàm extincta ante lucis vsuram sobole, matris etiam exequias celebrari. Adest Olympius, qui fœminam consolatus, & salutem illi, & maris sexus filium constanti quadam prædictione adpromisit: nec post multò consequuta vtrumque illa est. Illud mirè sanè præuisum, ac lepidè prænunciatum. Inuisit aliquando Olympius Cæsaris Riccij, Aloysij Riccij, Æquensis Vici Episcopi germani fratris coniugem; qua cum & aliam reperit matronam: & quòd vtraque vterũ gestarent, nec procul à partu aberant, ab eo magnoperè petiere, vt suis vtrique precibus adesset. Ille vni quidem, nempè Ricciæ, vt geminum missæ sacrum celebrandum sibi ante partum curaret, præcepit: alteri verò vt vnum. Igitur enixa vtraque fœmina est; & Riccia quidem gemellos effudit filios; altera vnum. Planè præuidisse id, Dei Seruus apertè commõstrauit; putauitque, quæ geminos ferebat partus, gemino indigere sacrificio, quæ vnum, vno.

Difficilis partus iuuatur.

Et præuidetur.

Occul-

Occulta, atque ima pectoris peruadit.

Cap. X.



VERSAMVR in eodem ferè argumento. Nam futura, & quæ longe sunt posita, de quibus modò loquuti sumus, ad idem lumen spectant, ac intima cordis, & quę veluti in fundo latent, de quibus modò dicendum. Planè vbi de mortalium pectore agitur, cæcus omninò, atque inobseruabilis ad illud aditus. Quid agitent introrsum, atque in reducto eo Senatu curæ, ac cogitationes, nulla beatarum mentium, nisi diuinum ipsum Numen sciuerit, cui nuda omnia, ac veluti è vitro translucida. Dignantur hoc interdum lumine Viri Sancti: & qui finxit singillatim corda hominum, ea illis aperit, vt cum res animarum postulauerit, ad intimos ipsos humanorum pectorum recessus pertingant. Hoc autem an Francisco contigerit, quę subiicimus, facilè ostendunt. Peruulgatum illud, quod in Sanctorum Apostolorum domo accidit. Accesserat eò quædam militum manus leuandæ siti: qui vt Franciscum Olympium, egressurum tùm fortè domo, vident, ruere certatim in eius manus osculum; qui honor ab insigni quadam veneratione passim illi habebatur. Et is quidem excepit perhumaniter omnes pręter vnum, quo ad osculum accedente, retracta manu, renuit: tùm ad eius tacitè aures insusurrauit: Scio te Sacerdotio initiatum; eòque par esset, me tuas potiùs exosculari manus. Occultum apostatam dignoscit.

Da operam, vt Numen tibi pœnitentia propities, ac menti redeas. Et verò nō modò Sacerdos, sed è præcipuo quodam Ordine apostata is erat, qui ea voce perculsus, desertam Christi militiam, ac pristinas vitæ rationes repetiit, ac deprædicare Viri sanctimoniam cœpit, qui rem adeò occultam diuinitùs nouerat.

Latebat item imo in pectore adolescentis cuiusdam culpam, quam introspexit Olympius, ac vultu correxit. Filius is erat cuiusdam regiis à Consilijs, cuius domum cùm adiret interdum Dei Seruus, hūc præsertim optimæ indolis ephebum complecti intimé, ac quadam oris festiuitate solitus erat. Accidit, vt is nescio quid culpæ semel admiserit: quo tempore, redeunte domum Olympio, aduertit, non modò ea se vultus hilaritate ab eo nō aspici, sed quadam etiam seueritate, adductaque fronte, ac supercilio terreri. Mirari adolescens: tùm monente, siue mordente conscia sui mente, cogitare secum ipse cœpit, non aliam ob causam vultuosum sibi Olympium, quàm quòd exerrasset, nec suus constaret animo candor. Igitur digressus, admissum piaculum intimè doluit, pollicitus Deo, fore, vt quàm primùm sacramentalem obiret confessionem: tùm rediit: mutatumque omninò illum reperit: lætum nempè, ac summè erga se beneuolum: exceptusque ab eo est jis verbis: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet*: vt ostenderit planè tristi, hilarique deinde fronte, et noxam agnouisse, & pœnitentiam.

Et adolescentis culpam.

Ingenti præterea plerisque admirationi fuit, quod hic ex fide Iosephi Boccafochi, spectati ex nostris viri de altero quodam nobili Iuuene recensendum:

Ro-

Roma Panormum redibat Franciscus à Sylua, Panormitanus, vir genere perinde, ac moribus ornatissimus: cum eo tùm alii viri nobiles, tùm Andreas à Sylua filius, annos natus circiter vndeuiginti, quē, vti persæpè in eo ætatis Euripo accidit, æuum, genius, & quidem naturæ ardor transuersum egerant; vt nihil ferret molestius Pater, quàm discinctos filij mores. Neapolim vbi peruenere Viri proceres, id in primis curę illis fuit, vt antequam in Siciliam transmitterent, Franciscum Olympium, cuius celebrari passim nomen, ac sanctitatem nouerant, inuiserent. Ergo admissi. Verùm quòd tùm quidem implicitus morbo erat bonus Senex, atque à quadam virium imbecillitate prolixè, ac sine graui incommodo loqui minùs poterat, moniti, vt paucis agerent. Et Olympius quidem quàm humanissimè illos excepit; ac postquam breui alloqututus simul omnes est, ad Andream, quem diximus, permisisse genio sui habenas, sermonem conuertit. Monere prolixiùs, atq; acri quodam genere dicendi supra vires, ac morbum. Quàm indecorum filiis, parentum neq; vestigia sequi, neque monita: quàm periculosum mundi illecebris mergi: voluptatibus, quæ sensibus percipiuntur, nihil breuius: deflorescere momento rosas, cùm interim confodiendo intimè pectori, spinæ restent: decipere æui florem, eoque nihil citiùs exarescere: instare proinde fata, cū magis distare credas: quid si culpa, ipsa accerseret, atque vrgeret mortem? Nam stimulus mortis, peccatum. Illud vigorosiore quodam spiritu pronuntiare, ac verbis aliis atq; aliis inculcare: liberum quidem nobis esse, in peccatum ruere: inde autem resilire, haud nostri esse iuris; neque tantùm suppetere

Et Andreę à Sylua solutos mores.

ho-

homini virium, vt ex se possit. Fugiendam proinde noxam, & quicquid ad illam propelleret. *Hæc* ferè Olympius, sui oblitus, ac morbi, ad Andream, quem non antea viderat; non indolem, non mores, non vitæ rationes nouerat. Mirari, qui aderant, ac se se inuicem, rei nouitate perculsos, intueri: neque enim, nisi qui intimè Iuuenem, solutamque eius vitam nouerat, eloqui tàm appositè, aptèque ad rem poterat. Quocirca persuasum habuere, Dei Seruum, affusa quadam diuinitùs luce, peruasisse Andreæ pectus; edoctumque, quid in præsenti opus esset, ea copia, ac vi dicendi, veluti concionabundum fecisse ad illum verba: cùm alioqui defecto corpore, is esset virium languor, vt pauca conari verba vix posset.

Illud profectò memoratu dignum, quod simul, & præuisa mirè futura, & agnitum arcanum statum animæ, & allatam præsentem, atque admirandum quendam in modum ab *Olympio* opem continet. Seruus cuidam *patricij Ordinis viro* Neapoli erat, quem quoties cerneret Franciscus, toties, vt cõscientiam elueret, monebat; pulsabatque surdas aures. Igitur aliquando sub primam noctem cùm nescio quid domestici officii obiret; tenebris periculum concinnantibus, fenestram, cui nihil oppositi muri erat; portam, atque ad aliud conclaue transitum putat: factoque per imprudentiam gradu, præceps ruit. Dum cadit, ecce tibi Olympius, qui apprehensum coma hominem medio ipso in aere detinuit; retraxitque mox domum. Et quoties te, inquit, monui, vt peccata elueres pœnitentia? Vides non tàm corporis, quàm animæ præcipitium? hisque dictis, euanuit. Quo ille horrore defixus,

Et Serui præcipité casum.

fixus, nihil prius habuit, quàm animum expurgare, quem, præuiso præcipiti eo casu, introspexerat Vir linceùs.

Addimus huic nautam, cui nomen Dominicus Antonius Ropulus; qui Dominico nostro Dicastiglio Puteolis, quo illum cymba vexerat, narrauit; Franciscum Olympium hæc sibi aliquando dixisse: Non leue te crimen grauat, Ropule, nempè ingens in coniugem tuam odium, quam velles extinctam. Quod omninò verum: miratusque nauta, penetrasse tàm intimè Viri Dei obtutum, eiusdem monitis labem sacra confessione absterſit. Et Ropuli crimen.

Arcana cordis hæc, quæ cœteris imperuia, vni Deo, vti monuimus, patent. Sed Olympio ea diuinitùs vis inerat, vt ad illa sæpiùs pertingeret. Id Francisco Antonio Hodiernæ, Ioannis Baptistæ, quē supra meminimus, germano fratri accidit. Admissus is aliquando est in domesticum Sanctorum Apostolorum Sacellum, vt Olympio sacrificanti adesset. Statim à sacro conuenit illum Dei Seruus, ac recitare vnà secum Apostolorum Symbolum iussit: tùm firmissimo quodam oris habitu, ac præferuidè interrogauit, an paratus esset, dare pro Christo, ac Christi fide sanguinem? Obstupuit ille vehementer. Nam tùm quidem, malorum certè dæmonū instinctu, pulsari se molestissimis de Christianæ religionis dubijs sentiebat: excitatusque opportunè Francisci voce est, ac discussa omninò ea mentis caligo: quod ipsemet loci Vicario admirabundus mox aperuit testatus luculenter, lustrasse intimum pectus Dei Seruum, ac veluti peritissimum medicum, & agnouisse secretum morbum, & fecisse medicinam. Et Hodiernæ animi fluctus.

Aliàs Aureliam Branciam, quam supra appella-

Et Brancię noxium consilium.

uimus, ex inopinato monuit, caueret, ne consiliũ, quod mente agitabat, & quod non adeò tùm opportunum, exequutioni mandaret. Quod illa cùm nulli vnquam mortaliũ aperuisset, putauit superiore quodam lumine patuisse Olympio. Quod ipsum & alia quædam mulier persuasum habuit. Nam cùm prolixè eius se se precibus commendasset, id vnum ab eo audiit: charitatem, videlicet, beneuolentiamque aduersùs proximos meminisset. Et quidem subirato, offensoq; in quosdam animo tunc erat mulier; obstupuitq; rem nulli compertam, & quæ penitissimo lateret corde, incurrisse in Olympii oculos.

Quid Cannæ Marchioni nuntiauerit.

Iam quod Octauiano Loffredo, Cannæ Marchioni significatum semel voluit, nescias illi voluptati magis, an admirationi fuerit. Sacram is aliquando Eucharistiam sumpserat, atque ea quidem vi spiritus, quam afflare cibus ille fortium solitus est, precatus Dominum fuerat, vt admissas ad eam vsque horam noxas condonaret. *Interim Olympium vi*det ad aram pergere, vt missæ sacrum faceret; accessitque ipse, vt interesset: cùm ille, concinnato de more calice, apertoque missarum codice, administrum ad se vocatum, adire Loffredum iubet, eumque à suo nomine monere, quod modò à Deo petierat, impetrasse. Simul stupore percelli, simul gratulari sibi nuntium, visus Marchio, cui nihil accidere gratius poterat, quàm, & promeruisse se peccatorum veniam, & ab Olympio rei monitum. Nec minore quidem cum admiratione cuidam fœminæ aperuit, quod illa scire per quàm vellet. Nomen illi Anna Caserta, quæ erepto Patre, quem vnicè amabat, peracri quodam desiderio tenebatur sciẽdi, quo loco is esset: cumque apud animum suum statuisset,

Annæ Casertæ occulta pectoris intuetur.

ab Olympio id petere, non audebat. Igitur cùm aliquando ægrotum quendam inuiseret Dei Seruus, aderat Anna, quæ ad præsentiam inardescere vehementiùs desiderium sentiebat: ac dum non audet, ad illam Olympius: Age, inquit, da precibus operam, vt parentis tui anima è purgatorio igne euolet citò in cælum: quo visus, simul agnouisse, & Patris supplicia, & filiæ desiderium.

Neq; omittendus hic Antistes, cuius nomini parcimus: etsi quod modò literis consignamus, narrauit ipsemet candidè Iosepho Arcamono ex nostris, frugi, compertæque fidei Viro. Persamiliare Diuo Antonino erat in Surrentina nostra Ecclesia, vbi eius Manes quiescunt, signare pios libros, locis quidem ad illorum documentum, ac profectum, qui signandos apponerent, opportunissimis. Igitur Antistes quid potissimùm pij operis ad suæ pietatis incrementum, ac diuini Numinis gloriam nauaret, exploraturus, adire & ipse Diuum Antoninum statuit; ac composito supplici libello, ab eo petere, vt signatis de more paginis, Dei sibi voluntatem significaret. Porrò quòd tùm Surrenti moraretur Olympius, addere momentum precibus ab ea manu statuit; illumque impensiùs rogauit, vt id supplicis libelli afferret ipse ad aram, atque id ipsum sua oratione postularet. Renuit primò ab insigni modestia Dei Seruus; tùm quòd persuasum habuit, fore, vt aliquid inde compendii, ac fructus existeret, passus est, exorari: ac summo mane Diui Abbatis aram petiit, explicatoque eo libello, hæsit inibi inter preces ad horas non sanè paucas. Tum redeunte Antistite, transegisse se, ait, cum D. Antonino rem; librum non signasse, at voce sibi significasse, gratum

Et cuiusdã etiam Antistitis cõsilia,

Deo fore, si meminisset. illa, & illa exequi, quæ olim ægrotus facturum, decreuerat, ac mente fortè exci, derant. Quo loco cùm morbos, à quibus laborauerat, tùm annum, ac mensem, tùm deniq; quicquid bonę mentis concepisset, ac statuisset, secum ipse exequutioni mandare, ad vnguem, ac particulatim exposuit; perculso admiratione Antistite, qui ea sibi in memoriam reuocari audiuit, quæ nullus vnquam sciuerat, ac reuera ita ea sibi facienda proposuerat, vt postea, quæ est humanæ mentis, memoriæque in re præsertim animorum imbecillitas, distulerit.

Petenda item ex nostris exempla acerrimi eiusmodi obtutus, quo arcana cordis introspiceret Frãciscus. Dominicus Dicastiglius adibat frequenter vnà cum ipsomet Dei Seruo ægotantes: idque operis ad Dei potissimùm gloriam, ac proximorum leuamentum, salutemq; exercere diligenter curabat. Interdum quòd viros principes, matronasque magni nominis conueniret, irrepere nescio quid studii, affectusque, qui à Deo deflecteret, sentiebat, ac tùm quidem Franciscus enatas intimo in sinu cogitationes, veluti perspicuè, ac fenestrato è pectore dispiceret, iis illum verbis singulari quadam modestia monebat: omnia vestra in charitate fiant. Nempè qui aliquantisper à recto tramite aberrabat, in regiam charitatis viam reducere conabatur, corde nimirùm penitùs inspecto. Qua item arcanorũ notitia quendam ex laicis fratribus à suscepto per. peram consilio reuocauit. Nescio quid molestiæ accepisse, is tibi persuaserat à quodam ex Patribus, ac ratus, id opportunum tranquillitati suæ fore; abstinere ab eius consuetudine, atque alloquio, in animum

Dicastigli internum pectus inspicitur.

mum

mum induxit suum, instinctu certè mali dæmonis, cui nihil prius, quam concentum animorum in religiosis familijs abrumpere. Cùm maximè obfirmasse in ea cogitatione animum videretur, Franciscus rem illi demandauit, in qua perficienda, cum eo ipso, in quem suboffensum gestabat animum, diutiùs agere oportebat. Quo quidem persuasum habuit frater ille, quicquid indignatione quadam, atq; animi impetu secum ipse decreuerat, agnouisse liquidò Franciscum: ac monitus erroris, charitatem, amoremque in illum exercere impensiùs solito statuit: reperitque in sinu fraternæ dilectionis requietem, quam extra illum frustra quærebat. Addimus Hieronymum Massam, Sacerdotem probi moris, qui cùm tacitè secum ipse decreuisset, ad vitæ, mortisq; præsidium mutuam quandam precum opem cum Olympio pacisci, ac iam cellula egrederetur, vt rem transigeret; ecce tibi obiecit se se illi bonus Senex, dicentemque occupauit; ac nihil vtrique opportunius fore, inquit, quam si mutuis se se precibus iuuarent. Obstupuit ille: tùm inire se, inquit, gratanter pactum, quando id ipsum tùm quidem cogitaret. Ad hoc Olympius, flexo ad quandam tristitiam vultu, abiit, veritus, ne intimos eius animi sensus se diuinitùs penetrasse, Massa existimaret.

Et Laici fratris,

Et Massæ Consilium



Olympii Obedientia.

Cap. XI.



QVI, vt in loco explicauimus, solennia Religionis vota repetere quàm frequentissimè solitus erat, eorum deindè seruantissimum fuisse, facilè sibi quisque persuaserit. Ea quidem singulis penè momentis instaurare, stimulos quosdam, facesque addere erat, vt quicquid concepta semel ea votorum Sacramenta poscerent, alacriùs exhauriret. Ordimur ab obedientia, cui prçluxisse ab ipsa penè infantia Olympius visus est. Dicere quippe Matrem solitam, accepimus, ex filijs cùm alij, quæ est refractaria puerorum indoles, aliquid sibi identidem molestiæ afferrent, in Francisco nihil vnquam habuisse, quod reprehenderet, prono semper ad obsequium ingenio, veluti rudimentum tùm quidem poneret religiosæ obedientiæ. Cui quidem vsque adeò addictus, vt vel nudum ipsum obedientiæ nomen externo quodam corporis, orisque habitu, cùm nominari contigisset, veneraretur. Ad maioris verò reuerentiæ documentũ nũquam illam nisi sanctam appellabat. Dicere solitus erat, obedientiam, misericordiam, sanctam Dei Matrem: hanc sibi maximè triadem cordi esse; nec satis compertum sibi, quem cuique locum tribueret. Tùm obedientiam ad dexteram collocandam, aiebat: nã factus obediens vsque ad mortem. Misericordiam in medio, hoc est, in pectore: quippè misericordia

Reuerentiam obedientiæ exhibet.

Do-

Dòmini plena est terra. Denique ad sinistram Deiparam Virginem, vt cordi incubaret, foueretque. Hæc ille ad obedientiæ commendationem; cuius gratia Moderatores summo loco habebat: planè vt non modò alacriter ijs pareret, si quid imperassent, verùm etiam eximium quendam ijs exhibere animi cultum videretur. Illos quippè nunquam nisi aperto capite alloqui: per eorum cellulam cùm transiret, honorem illi, vel clausæ habere: affixum de more portis nomen, nudo vertice venerari: illato interdum sudariolo, puluerem ab eo excutere, ipsumque deinde sudariolum ad reuerentiam exosculari. Loquens aliquando cum suo Præposito de præclara obedientiæ virtute, eam longè esse præstantissimam, ac primæ notæ, affirmabat, quòd per illam diuina sese nobis voluntas aperit. Cui Præpositus: hinc diuinæ literæ: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Ad postrema hæc verba visus Vir sanctus penè excandescere. Spernit? inquit, da mihi soleam tuam, Pater, eoque ardore petere institit, vt impetrauerit: tùm ea sæpiùs repetens, me spernit? Capiti imposuit: ori deindè applicuit, incredibili quadam humilitate exosculans: deniq; restituit, idque nonnisi vultu, oculisque ad quandam reuerentiam demissis: atque eadem identidem pronuntians: me spernit? Scilicet, nihil tam religiosum, ac sanctum putabat, quàm Moderatoris, ac sanctæ obedientiæ nomen. Et Moderatoribus.

Regendis tyronibus admotus, cùm omni pietatis genere, ac morum disciplina formare eorum indolem conaretur, tùm huic potissimùm virtuti, vt assuescerent, ac discerent, ceu nobili ab stirpe equi, ad rectorum nutum flecti, perdiligenter curabat. Tyrones obediẽtia præcipuè format.

Nihil

Nihil eorum arbitrio permittere: caueratque, vt nullus, magiſtro inconſulto, neque effigiem aliquã de loco ad locum transferret: ſecùs qui fecerit, mulctabat atriter. Semel ex iis quidam tonderi ſponte ſua poſtulauit: quod ille graui quodam ſupercilio excepit; tùm vt erroris moneret, vindicaretque ad aliorum documentum id ſpontaneæ voluntatis, tonderi diutiùs noluit; vt excreuerit penè eremicolarum in morem capillamentum; didicitque nouitius, promiſſa nimiùm cæſarie, præcidere arbitrii ſui vota.

Sui exemplo. Quod autem circa hæc minima, ac minutiſſima tyronibus præſcribebat, ſeruabat ipſe ad vnguem, vel grandæuus, emerita iam virtute, ac multorum ſtipendiorum miles: idque tàm religiosè, ac minutim, vt neſciam, an aliquis ad tàm minima obediendo vnquam deſcenderit. Sine Maiorum nutu non luſtralem aquam è ſacrario ad cellulæ vſum aſportare: non laneum operimentum ſub dio ponere, vti moris eſt, nç corrumpat blatta: non lectum ſternere: non oleo lucernam imbuere. Semel demandatum illi, vt neſcio quid pomorum calatho componeret; ſtatimque præſcribi poſtulauit, quot ijs folia ſubſterneret? E cella aliquando egreſſurus, vnde geminus patebat aditus; è portis vtram deligeret, ſcire ex obedientiæ nutu voluit: calceum item, qui illi ſemel moleſtiſſimus, exuere niſi ex Præpoſiti mandato noluit. Ad extremum moliri vtcumque ſe, verbulum vel minimum proferre, ſpiritum ducere, niſi ex obedientia, noluiſſet.

Contra genium, obediens. In ijs verò, quæ naturç, genio, inſtituto opponi maximè videbantur, ſi iuberentur, mirum; qua alacritate exequeretur. Nam quid magis incommodum; atque iniucundum religioſo, grauique viro, & cui

cui modestia, pietas, corporis afflictatio, ac cæterarum virtutum vsus in primis cordi est quàm ludere, saltare, canere? Visus hæc aliquando Olympius, vir nempè verecundissimus, religiosissimus, ac modestiæ laude cùm paucis comparandus, velut in theatro peragere. Scilicet, cùm obedientia præciperet, eiusmodi seruire scenæ, non modò non indecorum, sed præclarum etiam, ac laudabile putabat. Tyrones procurabat, cum Arenæ Marchio, qui Porticibus (Vicus is est propè Neapolim amœnissimus) morabatur, ab illo petiit, vt eò aliquando adolescentes suos animi gratia duceret. Per hanc nempè occasionem frui eius consuetudine, ac moribus ipse intendebat. Annuit ille: & quòd licet interdum nostris ad laborum laxamẽtum fallere honesto aliquo ludo tempus, trudiculis ludere tyrones occœpere: cùm interim penderet ab Olympij ore, ac præclara eius monita, circumfuso etiam domesticorũ agmine, hauriret Marchio: qui postea ratus, remissionem quandam ipsi etiam Dei Seruo fore opportunissimam: Age, inquit Pater, lude & ipse. Audire iubentis Dei vocem, sibi visus est Franciscus. Surgit, ludit, velut vnus ex ea pube. Rubori quidem, ac verecundiæ non mediocri hoc illi fuit: attamen vt pareret, vicit facili pugna motus animi; ac tantundem exhilaratus eo obedientiæ exercitio est, quantùm afflictari tùm quidem intimè eo ludo cõtingebat. Iterum Porticensem eandem domum adiit, petente Marchionissa, quæ cùm à morbo decumberet, id vnum ægritudini solatium putauerat, si Olympius inuisisset. Ergo dum ibi moraretur, socius, cui, vti mox dicemus, suo veluti Præposito parebat; viden, inquit, Marchionissam summè tristem?

Ex obediẽtia ludit.

Sit-

Subleuanda aliquantiſper eſt; tãge igitur bellè cymbalum, ac cane. Inſolens id omninò illi, ac præterquàm quod ineptè pſallere, ſuppuderet; tùm adaugere potiùs, quàm leuare principis fœminæ mœrorem inconcinna, ac diſſona penitùs vox, ſibi videbatur. Nihilo tamen minùs hilari quodam vultu cymbalum extemplò adiit, pulſauitq; ac hymnum, cui à Maris ſtella initium, cecinit: ſymphoniacus quidem ineptus, ſed qui Moderatoris ſui voluntati, ac nutui concentu quodam reſpondere, pulchrius putauit.

Cymbalũ pulſat.

Hæc foris, ea domi. Facturus ad aram, monituſque tempeſtiuè ab æditu o, morari nonnihil præter morem viſus eſt, expiandis nempè animæ labeculis diſtentus. Euntem deinde offendit domus Vicarius, qui veritus, ne quid incommodi, ac detrimenti caperet ab ea mora rerum in ſacrario ordo, monuit, maturato opus eſſe: feſtinaret proinde, & curreret. Admiranda planè viſu res. Non accelerare vtcumq; gradum Vir ille obedientiſſimus, ſed ceu fugeret aliquem inſequentem, aut in ſtadio palmæ, ac plauſus ſtimulos adderent, viſus curſum inire incitatiſſimum: grauitati nempè obedientię imperium anteferens, quæ iuſſerat, vt curreret. Illud etiam pulcherrimum eiuſdem virtutis experimentum eiuſdem Vicarii nutu. Moris noſtri eſt, Sabbato certo domus loco tonſorem perſtare, qui ſummum adeuntibus verticem tondeat; ſeruaturque plerumque ordo, quo veniunt. Igitur Olympius, quæ eius erat in maiores obſeruantia, cedere locũ Vicario cùm vellet, renuit ille: & qui priùs, inquit, adueniſti, da priùs tonſori verticem, atque inſuper ſaltum adde. Nec mora: ſaltauit Senex, ea proferens

Et currit.

Et ſaltat.

rens

rens verba: Ad Dei gloriam. Nihil profectò eo saltu sublimius: Cumque adstaret corona Patrum, ea fuit omniũ sententia, id promptioris obedientiæ exemplum, in re à grauissimis moribus, atque ab sanctioris vitæ instituto tàm dissona, nisi perfectissimum quemq; & qui sui arbitrium omninò triumphauerat, edere minimè potuisse.

At enim Viro, pietatis studijs innutrito, nescio an aliquid accidere iniucundius possit, quàm eiusmodi sibi rerum diuinarum exercitia, ac meditamenta virtutum interdici. Subiit id etiam ærumnæ gratãter Franciscus, vt obedientiæ litaret. Appetente siquidem sacra Diuæ Virgini salutatæ ab Angelo die, excipere eius peruigilium peculiari quadam corporis afflictatione, piisque operibus extra ordinem, in animum induxerat suum. Conscientiæ arbitrum adit, nempè confessarium, à cuius nutu vel latum vnguem diuertere, piaculum putabat. Quicquid statuerat secum ipse, aperit, ac facultatem petit. Ille, virtuti exercendæ, ita renuit, vt iusserit, à consuetis etiam precibus, ac reliquis pietatis operibus abstineret: horum vice id ageret: mane sisteret se ad odèi ostium; trãseuntibus inde laicis fratribus, cùm à missæ sacro redirent, singulos ijs verbis cõpellaret: Frater, ora pro me misero peccatore. Id quod eo animi sensu, ac sui deiectione exequi mox visus, vt nullus pene è fratribus imperare sibi potuerit, quominùs lacrymas ad id spectaculi funderet. Is verò Marianum peruigilium, quod excipere solemni quadam religione, suique afflictatione voluisset, sanctiùs ex obedientia se celebrasse, affirmauit.

Diuinis re, nus abstinet ex obedientia.

Abhorrere deinde vel maximè à secularium consuetudine videbatur: eorum domos adire, inuisere,

Vv allo-

alloqui, hoc illi longè molestissimum. Assuetus quippè, affixusque diuinis rebus, ab iis nisi cum quadam animi lucta auelli, minùs poterat. Decerpi de familiari cum Deo consuetudine reputabat, quicquid humanis iis officijs tribueret. Verùm iuberet Moderator, vidisses ad eam vocem, abstersa vultu tristitia, alacrem, promptum: ac sæpe ceruicem tùm quidem exerebat, signabatque manu, veluti concidendam offerret: vt ostenderet, quæ semel obedientiæ iugo subdiderat colla, paratum se, ferro etiam pro eodem exponere. Eiusmodi verò virorum procerum domos cùm adiret, socij se se imperio, quisquis ille fuerit, Sacerdos, Laicus, statim subdere: nihil eo inconsulto aggredi, aut loqui. Admouenda tunc essent ægrotantibus Diuorum lipsana, recitandæ ad eorū præsidium preces, signanda crux, socii imperium expectare: nutus, renutus pro lege erant. Semel accidit, vt pueri cuiusdam, Viri primarii à regiis Consiliis filii vlcera lamberit: verū quòd charitatis impetu abreptus, facultatem à socio nō antea impetrauerit, vbi domum reuersus est; id illi primum, veniam de genu ab eo petere, sensu quidem, veluti quid grauis noxæ admisisset.

Socij sese imperio cō mittit.

In eo itidem nō semel incredibilem quandam interioris hominis pugnam expertus, quam ad obedientiæ vocem facilè profligauit. Nempè à sanctimoniæ opinione, ac peculiari in ipsum studio id matronæ, ac viri principes interdum postularunt, vt eius sibi effigiem expingendā permitteret. Obluctari summa ope vir modestissimus, vti alibi monuimus; sed accedente Præpositi nutu, dabat confestim manus. Ac semel quidem, allato ea super re Moderatoris imperio, humi statim procubuit, ea

Sui effigiē ex obedientia permittit.

con-

congeminans: Sit nomen Domini benedictum. Tùm, perfecta sui imagine, id enixè postulauit, vt ad eius oram Apostoli verba inscriberentur: Factus obediens vsque ad mortem: indicauitque, nullum luculentius obedientiæ trophæum, quàm eam effigiem esse.

Non exigua hæc quidem: illa verò petita à veteris disciplinæ schola videri possunt. In Diuæ Virginis sine labe conceptæ peruigilio integram penè noctem ornandæ eius aræ insumpserat. Mane, vt ornatum vidit Prępositus, explorandæ obedientiæ, nō modò non commendare; verùm quòd non ad pręclaram quandam ideam factum diceret, iussit continuò amoueri. Vidisses tùm quidem Olympium impetu quodam, ac dicto citiùs vigilias suas diffingere: vt nescias, fuerit obsequium in demoliendo celerius, an diligentior in concinnando religio. Iterum iuuandæ Matris inopiæ, nescio quæ pecuniarū summa, consulto, atque annuente Præposito, data illi fuerat: sed iussus mox, vt id auri in foueam proiiceret, extemplò proiecit. Neque magnum illi fuit, nummos abiicere, qui sui arbitrium, ac seipsum semel abdicauerat. Ad hæc, dum in cœnatione aliquando esset, euocatus ad ianuam domus fuit; ac iubente Præposito, vt adiret, monitus tùm quidem est, cùm in panem cultrum immiserat, vt incideret. Incitata nimiū, ac volucris Olympii obedientia nec punctū temporis expectauit, quoad cultrum è pane extraheret, abiitq; illi persimilis, qui literam, quam efformabat, vt ad obedientię nutum citiùs accurreret, non perfecit. Quid si celeberrimum illud Mauri exemplum, pede libero lacum inambulantis, magnanimo quodam spiritu instaurasset? Enimuerò

Factum diffingit.

Mirum obedientiæ exemplum.

Vel per aquas inambulasset ex obedientia

interrogatus aliquando, quid consilii caperet, si Moderator, vt per aquas iret, iussisset? insigni quadã fiducia respõdit: nullus profectò dubito, quin obediẽtia easdẽ mihi vires, animosq; suffecerit, quos Mauro ad D. Benedicti vocem suffecerat. Quo sanè ostẽdit, promptum se, vndas ingredi, in quibus Herculeas poneret obedientiæ metas.

Obediens vsque ad mortem.

Virtutem hanc porrò vel in ipso mortis confinio caram habuit, voluitque in eo transitu comitem. Cùm in extremo eo vitæ actu, cui se potissimùm obstrictum putaret, fateri vellet; debere se plurimùm, ait, Augustissimæ Virgini Deiparæ, & sanctæ obedientiæ: huic nempè, quòd vitam nutu rexerit; *illi* quod patrocinio texerit. Adeuntes tunc primarios viros, vt abeuntem consalutarent, ad beneuolentiæ specimen flosculis, aliisque piis munusculis donatos cùm vellet; nihil vnquam sibi, nisi ex Præpositi, aut confessarii nutu licere permisit. Cùm supremò est inũctus, piam quandam Christi Redemptoris effigiem *imponi pectori deuotionis* ergo petiit: sed accedere priùs Moderatoris voluntatem, oportuit. In summo virium defectu iussus, ne quod reliquum erat morientis vitæ precibus defatigaret, statim paruit; sed rogare institit, vt liceret sibi nouies exhalare: id, scilicet, noueno eo halitu intendens, vt nouem Angelorũ chori suum Deo cor offerrent. Commendare deindè Moderatores iis, qui aderant, cœpit. Eorum labores, curas, vigilias non sanè paucas: Curarent, tantum onus subleuare, proniore nimirũ obediẽtia, in cuius laudes diffũdi vegeto quodã spiritu visus est. Hæc, aliaq; obedientiæ documenta moribundus edidit Olympius; vt fuerit reuera ad sui capitis exemplum obediens vsque ad mortem.

Olym-

Olympij Castimonia.

Cap. XII.



VOD nihil Castitatis laude pulchrius, ac religioso viro cōgruentius, mirum, quo studio illam adamauerit Olympius, auspicatus ab ipso vitæ rudimento præcipuam hanc virtutē colere, ac veluti voto proludere, quod nuncupaturus deindè in solenni Ordinis professione esset. Et quod ad pueritiam attinet, fuit è Francisci germanis fratribus, qui testatus ex fide est, nihil vnquam in eo se, ne verbulum quidem aduertisse, quod fœdasse vel minimùm ætatis, ac pudicitiæ florem videri posset. Hinc euitari ab eo soluti moribus adolescentes, & euitari ipse ab iis videbatur, qui egregium hoc pudoris exemplū obiectari sibi, ægrè ferebant, veluti aspectu ipso castissimus Puer illos argueret, ac vindicaret. Semel accidit, vt adolescentulorum par loqui, eo præsente, nescio quid impudici cœperint: & ne adesset censura, prætextu adornato, facessere illum iussere: qui quidem, quæ iam hauserat primi sermonis propudia, quantùm sibi displicuissent, ingenuo quodam rubore, atque obortis lachrymis testatum voluit. Quod quidem maturiore iam æuo cùm á maioribus enarrare iuberetur, adduci nunquam potuit, vt suis rem vocabulis explicaret; studuitque à communi loquendi vsu vel maximè discedere: planè vt prætextata verba loquutos adolescentes, vix intelligerent. Argumen-

Puritas in pueritia.

mētum hoc quidem virginei pectoris, incorruptæq; omninò mentis, quæ candori suo ab vsitatis etiam nominibus metueret. Cuiusmodi verba in reliqua deinde vita si forte ad eius aures accidissent, signare se illicò, ac Iesu nomen inclamare, perinde ac si horrendum in modum tonuisset, aut fulgurasset cœlum: tùm si liberum ei fuisset eo loco excedere, nihil eius fuga incitatius.

Illum de vultu cernere, quandam inspicere castimoniæ ideam erat. Fronte, genis, oculis præsertim insedisse pudor videbatur. Quod sciret, infaustum semper sydus honestati oculum fuisse, ac tùm maximè patere illam insidiis, cùm eiusmodi excubiæ aduigilarent, in eo totus erat, vt aspectum fręno temperaret. Fœminas, quę promiscui gradus, ac æui ad illum adibant, nunquam nisi defixis ad terram oculis alloqui. In quodam nosocomio cùm cibos aliquando decumbentibus distribueret, immixtam iis fœminam aduertit; eique, corruptæ licet illuuie, ac morbo, *terga primùm vertit*, ne quid fœmineum in oculos incurreret; tùm suum tribuit demensum. Habet nempè castimonia Parthos suos, qui à tergo, non telis, sed beneficiis certent. Allatus item illi aliquando nobilis matronæ infans fuit, vt bene ei precaretur: sed auerso præter morem vultu, adductaque fronte, ostendit, esse, quod sibi displiceret. Aderat nempè nutrix, quæ nudo pectore, non eo accesserat cultu modestiæ, qui Viri honestissimi præsentiam deceret. Monenda hæc fuit, vt vbera, ac pectus operiret: tùm Olympius adblanditus puero est, illi bene precatus. Atque istiusmodi quidem puellulos mirum, quo affectu prosequeretur ab amore, videlicet, in formosissimum hunc virtutum florem,

Oculorum in eo frænum.

In pueros studium ab amore puritatis.

rem,

rem,ac decus,nempe puritatem. Illos,si quos offendisset, intimè complecti,ijsq; aliquãtisper immorari, in iucundissimis ponebat, tùm eorum se se precibus commendare consueuerat. Si quos intempestiuiùs vita functos efferri, contigisset, ipsemet interdum suis vlnis acceptos, cohonestare ad sepulturam videbatur; gaudebatque pallidula ea virginitatis lilia, veluti ad delicias, contrectare. Quos item pueros cessisse maturiùs vita, non ideò commiseratione, sed pulchra quadam dignos inuidia,deprædicabat, quod ipsimet sibi lacteam ad cęlum viam muniant; atque illibata eorum integritas præcipuum locum habeat inter Angelos Dei, qui non nubent, neque nubentur. Ac dicere solitus erat, se quidem, cùm ijdem periculosè ægrotarent,nisi ex obedientia,nũquam vt pro eorum vita preces funderet, adduci posse: quòd sibi videretur, ipsos quidem certa gloriæ possessione, cælum verò nescio quanam amœnitate, ac pulcherrimo vere fraudari. Persimilis quædam illi propensio in agnos inerat; tùm quod Christi Domini typum,diceret:tùm maximè, quòd innocentiam, ac puritatem repræsentarent. Eaque propter quoties eos cerneret, imperare sibi minimè poterat, quin affectu quodam complecteretur, figeretque eorum frontibus oscula. Et in agnos

Iam verò id eximiæ cuiusdam castimoniæ argumentum, illam attactu, aut afflatu quodam alijs impertire. Abundet siquidem niuibus necesse est, qui alios refrigeret. Contigisse hoc illibatæ Virgini Deiparæ, compertum habemus. Tantus quippè eius vultu pudor, ac sanctitas inerat,vt intuentes illicò ad honestatis amorem erudiret. De Diuo item Antonio Patauino consignatum literis, scimus, ex-

æstu-

æstuante fœdis ardoribus Iuuene, immisso suo habitu, veluti affusa frigida, eius restinxisse mirè flammam. Neque dissimulandus Philippus Nerius, in hac pudicitiæ laude summus, cui illud solenne erat, vt si quos eiusmodi illecebrarum tentamentis conflictatos intelligeret, eorum tantisper capita suo pectori admoueret, foueretque peramanter: quo quidem profligata sensuum pugna, æstuque pectoris tranquillato, longe alios, castimoniæ, videlicet, restitutos, á se dimittebat. Nempè vt accendit ignem ignis, ita Virginitatis attactus quicquid animo fœdè efferbuit, temperat. Sed neque istiusmodi castitatis prærogatiua Olympio defuit. Enimuerò, vti quidam ex nostris compertæ fidei refert, Exterus vir religiosus in perdifficili hac palæstra diù versatus, cùm de se, suisque impurissimis cogitationibus palmam iam penè desperaret, id consilij cepit, vt Olympium conueniret, eiusque patrocinium, ac opem imploraret. Commiseratus Dei Seruus in lubrico adeò statu hominem; ac preces tùm quidem pollicitus, interim amplexatus illum est quàm arctissimè, ac plusculùm in eo complexu detinuit. Mira sanè dictu res: Exinde ita ille refrigeratus, vt acris ea lucta, ac tota illa vehemens perinde, ac fœda cogitationum pestis omninò facesserit. Id quod ipsemet, qui defunctus eo periculo est, viro ex nostris grauissimo aperire non erubuit, vt tanti beneficij sua constaret auctori laus.

Castimoniam alijs impertit.

Quod subiicimus nescio, an maiori admirationi deseruiat: certè insolens magis, & quod in sacrarū historiarum monumentis nullus vnquam, vti putamus, repererit. Nomen hic porrò viri, eiusque cognomentum appellari citra inuidiam, ac famæ de-

cus posset, quando is ipse, cui res non sine sui labe accidit, non modò testatus id voce est, sed scripto etiam summa fide consignauit; extatque autographum eius testimonium in Neapolitano Sanctorum Apostolorum tabulario. Cognomini nihilominùs parcimus, contenti nomine, quod illi Nicolao Antonio. Is igitur hospitio aliquando ab amico exceptus, illud etiam in hospitis domo operæ pretium fecit, quòd exaratam Francisci manu epistolam ab eo impetrauerit; quam deindè, ceu præsens aliquod amuletum, ac religionis ergò secum ferre consueuerat. Accidit, vt is iter faciens, præcipiti quadam occasione, sensuque voluptatis vehementer incitatus, dimoueri de continentiæ gradu permiserit. Post lapsum vellicari maximè interiore quodam animi morsu sensit, quòd Olympij literis non eam, quæ deceret, reuerentiam exhibuisset: ausus nempè cum iis id piaculi admittere. Subijt interim animo illas inspicere, ac dum explicat, aduertit integra quidem pagina, quicquid inerat Olympij characteris ita obliteratum, vt præter leuissima quædam vestigia, quæ ostenderent, fuisse nonnihil inibi scriptum; cæterùm non verba, non literæ, non apices ipsi literarum extarent. Intimè perculsus Nicolaus Antonius, ac pudore suffusus non mediocri, persuasum habuit, ob eam corporis, atque animi labem ita consuetudinem cum ipso omnem intercidere voluisse Olympium, vt neque characteres suos penes ipsum esse ampliùs permiserit. Impuros auersatur mirabili euentu.

Porrò voluntariæ corporis afflictationes, vigiliæ, ieiunia, de quibus mox dicemus: tùm eximia in purissimam Dei Matrem religio, de qua diximus, huc in eo spectabant, vt candori suo his maximè præ-

ſidiis caueret. Et vitæ quidem incommodis, ac rigoribus id intendebat, vt ſepiret veluti ſpinis lilia, ne læderentur: Mariana verò tutela, vt adeſſet, quę ſuam areolam cuſtodiret. Et quidem ita corporis, mentiſq; integritati conſuluit Vir innocentiſſimus, vt quod à natalibus tulit Virginei floris decus, ad ſenium vſque, ſupremamque vitæ lineam perduxiſſe, conſtans ſit omnium perſuaſio: ac teſtati id etiam ſunt, quibus eius conſcientiæ, atque animi intima patuere.

Virgineus in eo flos vſq; mortem.

Olympii Paupertas.

Cap. XIII.



ADDICTISSIMVM ſuo ſe Inſtituto hoc potiſſimùm nomine affirmabat Fráciſcus, quòd altiſſima vigeret in eo paupertas: ab Apoſtolis nempè ipſis recepta, ac ſancita vſu; eaque indolis magnitudine, vt quicquid eſt humanæ opis, ac præſidii nihil penſi habeat, ſola in Deum ſpe contenta. Quam ipſe paupertatem; & vouiſſe, magnoperè gratulabatur, & ſeruare præcipuo quodam ſtudio contendebat. Vt cęteram diſciplinam, ita hanc præſertim virtutem ingenerare tyronum animis connitebatur, quos in ſpem eximii ſpiritus educabat. Nihil iis frequentiùs, nihil magnificentiùs dæpredicare ſolitus erat. Exigi ad eius amuſſim cellulam, veſtes, cúltum omnem, volebat: eòque adducta res eſt, vt nihil eſſet ea Olympii pube in paupertatis cultu adſtrictius; certabantque

que de inopiæ principatu Iuuenes; atque is se elegantius gestare, ac lautius indumentum reputabat, cui vulgarior, ac trita magis lacerna. Præire alumnos Magister, ac non tàm verbis, quàm exemplis erudire. Enimuerò annos omninò tres, & sexaginta, quibus in Ordine egit, non alius in eius cella cultus, ac suppellex visa, quàm scamnum, mensula vnus, aut alter libellus, tùm carthacea ad orandum Diuorum effigies. Vestibus, nisi quæ detritæ, ac vetustæ, non vtebatur: exorari nunquam passus, vt nouam aliquam admitteret tunicam, præter illam, quàm in solenni votorum emissione induit: scilicet, excipi celebritatem illam, ac lætitiæ diem eo cultu, æquum putauit: & qui sibi incruento quodam sacrificio offerri tùm quidem, immolarique se Deo, videbatur, ornari de more victimam, haud renuit. Illud aliquando, & eius egregiè paupertatem commendauit, & valere interna quadam luce, ostendit. Matrona quædam in Olympii vestem collimauerat, idque fore sibi optatissimum Socio significauit, si permitterent Patres, vt nouum Dei Seruo indumentum ipsa conficeret, accederent sibi vetus. Pollicitus operam Socius: cumque luctandum sibi cum ipsomet Olympio, non dubitaret, dexteritate quadam opus esse, intelligebat. Itaque arrepta semel occasione, insinuare seriò, quam gestaret vestem, satis diù vsui fuisse; adeò nunc laceram, vt illam sarcire, ludere omninò operam esset: sineret proinde nouam confici tunicam. Tunc ille paucis: Apage, inquit, hanc mercaturam, ac nundinas: quo sanè innuit, resciuisse diuinitùs matronæ votum, ac pactionem: atque interim eò sibi indumentum carius, quò despicatius, ac vetustius, significauit. Id

Olympii suppellex.

Vestes illi, quæ vetustissimæ.

noui gestare interdum cogebatur, nempè pileum: Commutari siquidem non rarò clãdestina piorum hominum industria, ac deuotionis ergo, contingebat, planè non sine eius sensu: ac tùm quidem, quòd non aptè insedere capiti eos pileos, diceret; ad vetustos, atq; obsoletos iterũ redibat. Lanea quædam tibialia annos omninò viginti gestauit: ne cogeretur nouis vti, sarciri ad extremam vsque senectam voluit: aiebatque interdum lepidè, quando tot annos summa fide inseruissent, cur postea ingratè desereret? Hanc etiam paupertatis laudem vt tegeret, vitio illam vertebat, ac dicere solitus erat, putare se, quoddam hoc esse auaritiæ genus.

Pleraque paupertatis exempla. Respondebant huic vestium cultui reliqua: vt videretur profectò huic potissimùm virtuti Olympius operari. Semel lucernam concinnandi facultatem à confessario petiit; miratusque is, quòd non id aliàs efflagitasset; dum inquirit, comperit, septenos, & eò ampliùs, menses lumen cellæ non intulisse: nempe vt olei compendio paupertati, ac parsimoniæ seruirent tenebræ. Aliquando cellula illi fuit propè domesticam quandam D. Virginis aram: ac tùm quidem lychnum, quo vti solitus erat, non longè ab eo altari collocabat, vt videretur honori Dei Matris famulari lumen; cũ interim subaperto cellæ ostio, modicam ipse admitteret suum in cõclaue lucem, eoque frueretur incommodo ad paupertatis gustum. Visus quàm sæpissimè vel minima rerum frustula, quæ vsui esse possent, colligere, ac seponere, ne quid in paupere domo pessum iret. Diebus bacchanalibus, quo tempore tanta cum diuini Numinis iniuria crescit mortalium licentia, vt propitiaret ipse pro viribus Deum, cùm pleraſque susciperet

cor-

corporis afflictationes, tùm maximè cubare sine linteis, solitus erat: dicebatque, se quidem non sanè grauem in eiusmodi cubatione experiri pœnam, sed oblectari ea potissimùm paupertate. nempè quòd aliis tristitiæ, voluptati illi erat, deesse commoda.

Specimen verò huiusce in paupertatem studii nō exiguum quidem erat, amare pauperes. Scilicet, haud poterat non peculiari quadam beneuolentia in eos ferri, qui adamatam sibi inopiam, aut eius saltem speciem circumferrent. Hinc illos complecti, fouere, patrocinari; ac nihil illi prius, si quid sibi pii viri erogarent, quàm deriuare in pauperes. Illud sanè à robusto quodam spiritu, quo frangi naturam, atque insitam mortaliū animis vim sanguinis, oportuit. Floruit aliquando opibus, atque affinitatibus paterna domus: ac tùm quidem parentes, fratres, consanguineos nunquam, aut perrarò inuisere: nulla de iis mentio, perinde ac si nulla intercederet affinitas, aut germanitas. At enim, quæ est rerum inconstantia, dilabi fortunas contigit: & qui modò diuitiis floruerāt, eos pressit angusta domi res. Tunc ille suos agnoscere, alloqui, adblandiri, ac cognatam inopiam veluti magnificè ostentare. Iuuare eos quidem non minimùm potuisset gratia, qua Neapoli apud viros principes valeret: et Neapolitani ipsi Proreges nihil optare prolixiùs videbātur, quàm Olympio gratificari, vrgebantque, vt peteret. At is ne paupertati suæ minùs responderet, adduci nunquam potuit, vt pro iis interpellaret: ac dicere confessario solitus erat, nihil à viro summè paupere magis alienum, quàm curare officiis suorum commoda: idque duntaxat libentem, volen-

In pauperes propensio.

tem-


temque facturum, si modò annueret Præpositus, partiri nempe cum iis suum panem.

Iam quòd nunquam non vitæ respondit concentu quodam mors; eximium hunc peupertatis cultum in ipso vitæ exitu mirificè comprobauit. Ac primò quidem morbum exquisitè,ac remediis peregrinis curari, hoc illi longè molestissimum. Pauperi viro sat esse, aiebat, obuia remedia; inopiamque gaudere fortuitis, non quæsitis. Planè id illi in cæteris vitæ morbis curæ in primis fuit, vt vulgaribus vterentur artis præsidiis, ne dum incolumitati consulerent, paupertatem læderent. In suprema verò valetudine Vincentium Caracciolum, domus Præpositum id in primis rogauit, vt sineret pauperrimum, & nudum cum nudo Domino obire. Iuberet proinde sacras quasdam icunculas, piacularia numismata, aliaque istiusmodi pia donariola, quæ deuotioni excitandę impertire exteris Vir Dei consueuerat, è cella auferri: tùm qualibet etiam amota suppellectili, nihil in ea præter lectum, atque vnicam magnæ Dei Matris effigiem relinqui. Ad hæc, nudum consepeliri, etiam, atque etiam postulauit. Hic Caracciolus rem eam esse præter nostrũ morem, nec decere,nisi coopertum religiosum virum contumulari. Vrgere nihilominus, vt saltem nudis pedibus id liceret; calcaretque vestigiis paupertatis viam vniuersę carnis. Sed neque hoc impetrauit. Tùm infimis precibus agere, vt quicquid esset domi vilioris amictus, extincto cadaueri induerent, nullo supra vetus indusium thorace. Has deinde vestes afferri sibi iussit, vt probaret ipsemet oculorum fide, an despicacissimæ, & quæ suis votis responderent, illæ essent; tùm se coram con-

In extrema vita paupertas.

se-

secrari eas ritè voluit, ac lecto imponi, vt elegantissimas, atque ab ipso paupertatis vestiario petitas exuuias ab oculos semper haberet. Quamquam Viro, in summa egestate moriendi cupidissimo non satis hoc fuit. Nam incredibili quodam animi sensu, contemptuque rerum humanarum professus palam est, obsoletas eas vestes, ac scruta, nonnisi precariò, atque eleemosynæ nomine accipere. Cumque hoc ipsum, atque eodem eleemosynæ titulo ea se indumenta elargiri, Præpositus affirmaret, visus ille insolita quadam lætitia frontem exhilarasse, testatus ea vultus serenitate, haud pulchrius mori se posse; ac tàm paupere exitu consequutum votorum summam. Imitari Beatissimum Parentem Caietanum voluit, qui paupertatis amantissimus, quoad vixit, vsque adeò egenus deinde mori exoptauit, vt ne tãtulum quidem terrræ spatium sepeliendo corpori suppeteret.



Olym-

Olympij Corporis afflictatio.

Cap. XIV.



N hac virtutis seuerioris palestra toti fuere viri Sancti, vt antequam quicquam auderet sensuum contumacia, eorum impetus frangerent; ac nulla deinde ab iis mora, inoffenso, vt aiunt pede, spatium decurrerent vitę perfectioris. Quisquis per exercitamenta virtutum eniti ad ardua, atque ad ipsum diuinitatis complexum, propositum habet; seipsum atterat, necesse est, subigat, premat. Eò namque alacriùs currit ad diuina animus, quò duriore fræno præfractum corporis ingenium coerceas. Et Francisco quidem Olympio hoc primum, implacabiles secum exercere inimicitias; sensus, eorumque motus seuerè infringere; insigni cultus duritia corpus accipere; nullum non sui commodum suspectum habere; honesta etiam, si forte oblectassent, ne falleret species, auersari; se denique hostem sibi, atque in diplinæ palestra antagonistam putare. Hinc omni afflictationum genere in seipsum agere: & somnum quidem, quo nihil seueræ virtuti infensius, atque ad corporis desidiam aptius, mirum, in quam arctum temporis spatium coniecerit. Excubare, orare ad multam noctem: tùm ante matutinas laudes surgere, easque ad duas omninò horas occupare, vt subducta ratione, ternas vix horas quieti daret: cùm interim solidas quasdam per annum noctes in-

Somnus Olympio perparcus;

insomnis, atque inter assiduas preces transigeret: interdum vero absque linteis, vt innuimus, cubaret; vt serò adiret somnus, citò abiret ab eo incommodo. Conati quidem suadere identidem aliqui, vt post antelucanas preces vegetaret modica quiete corpus, sed abnuit semper. Et confessario hoc ipsum monenti, destinasse se, ait, id temporis spatium piarum animarum suffragiis; nec par esse, opportuno eo precum subsidio miserabiles eos manes fraudari. Insomnem aliquando duxerat noctem à graui morbo, ac tū fortè leuissimus quidam adrepsit sopor, cùm nocturnis precibus darent operam in odèo Patres. Expergefactus, angi vehementer visus, quòd intempestiuè admodùm dormisset: nempè cùm alii nocturni canerent; subiratus morbo, quòd molliùs habere se, ac quiescere, excubantibus alijs, cogeret.

Vigilijs alia itidem atterendo corpori supplicia addebat. Pijs nanque diuerberationibus secum ipse, veluti cum mancipio, agebat: idque intempesta potissimùm nocte, ne facilè pulsarent dormientium aures flagra: sed auditi persępe ictus inter suspiria, ac preces: eratque cuidam horrori per ea præsertim silentia piæ manus sæuitia. Repertum interdum respersum sanguine indusium: vt qui nō perfunctoriè, sed strenuè ad sanguinem vapulabat. Cilicijs etiam diuexare membra solitus erat, quæ aliquando supra modum aspera; vt ab ipso incessu, ac corporis habitu agnoscerent Patres, quid tùm durioris textus gestaret. Nec deerant alia pœnarum argumenta: visus quippè semel, cum tutum se à mortalium aspectu crederet, admouere nudo pectori ferream quandam crucem, in qua sui extarent, qui confoderent, clavi:

Corpus seuerè accipit.

claui: vt dicere iure posset, Christo confixus sum Cruci. Permissa hæc illi, quoad ætas, atque incolumitas tulit: occurritque deinde Maiorum prudentia seueriori huic Viri instituto, qui sanè vel profundum ipsum senium, ac morbos istiusmodi afflictationibus mulctare voluisset.

Abstinentia verò, quòd perduelles sensus, ac carnem mirè edomet, præcipua illi virtus. Parcissimo vti cibo, ac nonnisi qui tolerandæ vitæ necessarius. Carne perrarò vesci. Simulabat quidem, ne proderet abstinentiam, cultro incidere: sed apposito deinde ad latus sale, integram dimouebat: quod non ea fieri dexteritate poterat, vt assidentis oculos falleret: ac rogatus, cur sal apponeret, quando cõstituerat secum ipse non vesci? respondit, olim nullum sine sale sacrificium: eòque non incongruum, sal ferculo apponere, quod tùm Deo offerebat. Piscibus, quòd gulæ irritamenta diceret, æquè abstinebat. Sacris Quadragesimæ, ac Christi Domini Aduentui diebus perquàm rarò, ac summis penè labiis degustare; herbis, ac pane plerumque contentus. Trahebat nihilominùs in longum cœnam, ac prandium, vt videretur, haud frugaliter, ac parcè vesci. Ieiunia per annum eximia religione, ac fręno seruabat: eademque arctiore annona excipere, quæ leges nostræ præcipiunt, amoto nimirum ientaculo, quod apponi cæteris solet. Id namque Theatini moris est, vt, cùm in cæteris ex præcepto ieiuniis prę ter panis trientem, nihil ad refectiunculam tribuatur; diebus Veneris, ac Dominico Aduentu, tùm in plerisque diebus aliis, quibus nostra abstinentia continetur, aliquid leuioris ientaculi indulgeant, quo sibi Olympius interdicebat. Et in peruigiliis

Abstinẽtia illistrictior

qui.

quidem Diuæ Virginis pane dumtaxat, ac frigida ieiunium tolerabat; ac tùm quidem ad ſerotinam refectiunculam panis fruſtulum eleemoſynæ nomine efflagitabat: quo deinde demiſſus in genua, ac pium aliquem libellum legendo, reficiebatur. Et accidit ſemel, vt augeri nonnihil panem, poſtulauerit, quòd deſtitui viribus, atque indigere præſenti ea annona, ſibi videretur. Sed ecce tibi monitor liber: in quo id fortè legendum ſe ſe dedit, priſcos nempè Patres, hoſtias, videlicet, viuentes, ac ſanctas, neque tantùm ſibi panis indulſiſſe, quo famem pellerent. Erubuit ille ad hæc, ciboque ſtatim abſtinuit, ac faſſus mox apud confeſſarium culpam, ceu quid vltra neceſſitatem fatiſcenti naturæ tribuiſſet, pœnam efflagitauit. Illud abſtinentiæ genus conſtans etiam in eo fuit. Nam quicquid nouorum fructuum, aut opſoniorum pro temporum ratione menſæ apponebatur, id ipſe libare, piaculum putabat; dicabat eas rerum primitias Auctori ſuo, nempe Cœli Numini. Et affirmabat deindè ipſemet, cum iterũ hæc eadem communi menſæ apponerentur, duplò ſibi maiorem, quàm aliis portionem contingere ſolitam; vt luculenter agnoſceret, gratum Deo hoc libamentum. Ad hæc, nulla interdum epulis condimenta adhibere, ne ſaperent. Aliàs vt guſtum exerceret, diuexaretque, cruda piſcium capita liguriuit. Nihil autem eſt, quod admirationem magis peperit, quàm quod in Porticenſi Marchionis Arenæ domo accidit. Acceſſerat eò Olympius, vti identidem ſolitus erat, vt Marchioniſſæ votis faceret ſatis. Ad menſam cœtera inter fercula allati echini, in quibus quantùm foris ſpinarum horret, tantùm intus deliciarum proritat; vt qui neſcio quid ſcitiſ-

Eduliorum primitias Deo offert.

ſimi ſaporis ſuis in corallijs offerant ad illecebram guſtus. Ergo Franciſcus pulcherrimam nactus cõfodiendæ gulæ occaſionem, dum ſimulat interiorem piſcem edere, ſpinas mandere occœpit. Propè aderat menſæ inſtructor, cui nomen Mauritius Federicus, qui fidem oculis primùm abrogat: ſed dum accuratè inſpicit, aduertit peracutis reuera ſpinis Olympium veſci, ac veritus incommodum, diſſimulanter echinos ſubmouit. Fortè ſepire ſpinis gulam bonus Senex voluit, ne in lautiore menſa aliquid deliciarum eò pertingeret.

Echini ſpinas mandit

Hæc ſanus, ac integer: in morbis nihilo ſibi indulgentior. Nulla acrior illi, quàm cum ſtomacho lucta, cùm ægrotaret. Auerſati nauſeabundus, quicquid apponerent. Quocirca in id maximè vires contendere valetudinarij, vt excitando guſtui, accederet cibo à condimentis gratia. At cui potior ipſa ſenſuum afflictatio, quàm incolumitas erat, has ipſas faſtidire vehementiùs blanditias videbatur. In communis menſę ferculis minùs ſe experiri faſtidij, affirmabat; iubebatque afferri, ac faceſſere quæſita, ac delicatiora eduliorum genera. A dulciarijs, ac bellariis, quæ ad remediũ potiùs infirmis, quàm ad delicias apponi ſolent, ita ſemper abhorruit, vt ne delibare quidem vellet. Quę diximus, non leuis quidem momenti videri poteruntin hoc genere robuſtioris, ſeueriorisque virtutis. At paſſim in Sanctorum virorum vitæ cultu leges, occurruntq; in eorum hiſtoriis præclara profectò eiuſmodi diuexandæ carnis documenta. Illud in Olympio magnum ſui experimentum, ac ſupra vim, ac robur naturæ: nempè coopertos lepra viros, ac purulentos ita interdum in noſocomiis complecti, vt eorum

In morbis afflictatio.

etiam

etiam vlcera, ac florentes horridè pustulas lambere non abhorreret. tùm infecta sanie lintea, ac fascia, veluti ad delicias del.bare. Qui hæc ausit, confirmari, atque animari intimè peculiari quadam ope Numinis, necesse est: vt sint quidem admiratione digni: cæterùm qui eos imitari velit, commoueri à fundo reluctantem naturam sentiet. At quando cõmmemorari, aut audiri hæc sine ingenti quodam horrore, ac fastidio nequeunt, ea paucis innuisse, sat fuerit.

Olympij Humilitas.

Cap. XV.



CLAVDIT hoc virtutum agmen modestia, siue humilitas, quæ princeps quidem virtus, ac cæterarum custos, ac parens est: attamen censeri in postremis cupit, cultu sanctior, quàm splendidior. Adamatum hoc Francisco Olympio humilitatis nomen: coluitque eo studio, vt fuerint, qui illum cum Diuo Francisco Assisinate conferre non dubitauerint; eoque adhuc superstite, dicere, soliti erant, Franciscos duos præstantissima hac virtute æquè nobiles; alterum cœlo agere, terris alterum. Iam, quæ latere suopte ingenio amat modestia; non ita occultare se se animo, atque imo pectore vnquam potuit, quin externa ipsa specie, verbis, gestu, incessu se proderet. Et Olympium quidem cernere, ab ipso statim aspectu, orisq; habitu eximiam in eo sui deiectionem facile quis intelli-

D. Francisco comparatur Olympius.

telli-

telligebat. Perpetua quædam inerat vultu tranquillitas, & comitas, quam tùm quidem perturbari aliquantisper contingebat, cum peti se honoribus, aduerteret. Honorem ipse omnibus, vel infimæ sortis hominibus habere, ac perquàm honorificè etiam appellare. Cultus illi, ac locus is magis ad gustum, qui abiectior. Si fortè vel in re quapiam leuissima exerrasset, monerique contigisset, statim demitti in genua, seipsum vehementer incusare, veniam intimo quodam sensu petere, pœnam efflagitare; tùm pedes etiam monitori suo exosculari: idque etiam si exterus quis fuisset, aut ioco monuissent; eòque alacriùs dabat eiusmodi humilitati operam, quò plures præsentes aderant; nempè vt splendidiùs sui existimationem triumpharet. Sæpiùs aliorum monita anteuertere, ac prodere ipsemet vltro labes suas videbatur, vrgebatque, vt pœnæ nomine aliquid irrogarent. Quoties conscientiam expiaret, absolui nonnisi prono in terram vultu volebat: tùm chiragra licet aliquando implicitus, exosculari confessarii pedes consueuerat. A pauperum consuetudine ita non abhorrebat, vt illos libentiùs, quàm nobiles viros alloqui, iisque adblandiri videbatur. Literas cùm ad nostros, aut exteros daret, ijs verbis subscribere solitus erat: Ego pauperculus Franciscus peccator. Nihil verò æquè ipsi molestum, quàm viros nobiles, ac matronas epistolas mittere; quòd nescio quid inde existimationis, honorisque existere, sibi videretur. Latere eas voluisset: idque in primis curabat, ne circumferrentur, aut plures legerent. Ac semel quidem honorificentissimas magnatum quorundam literas seruari Præpositus cum vellet, iussit, vt afferret: at ille gestu primùm, tùm voce

Humilitatis in eo documenta.

igni tradidisse cum omni gloria sua, significauit: fecitque ignis egregiæ virtuti lucem, quam vir modestissimus fugiebat.

Ius ferendi suffragium, quodquid honorificum, mirum, qua animi demissione, compositis ad Capitulum Generale literis, abdicauerit: professus ingenuè, fore, vt eadem se alacritate conspicuo quouis munere abdicaret, si par illi fuisset. Nec post multò id etiam vehementer petijt, impetrauitque, vt nulla sibi prorsùs auctoritas domi esset; ita vt professione, ac natu minor potestatem, ac vim, etiam se præsente, exerceret. Quam Viri modestiam visus semel Deus ipse admirabili quodam rei euentu probauisse. Enimuerò cùm ex vna odèi parte validæ quædam aliquando voces essent, ac multæ, ex altera verò exiles, ac paucæ, æquanda psalmodia erat, iussis, vti moris est, ad alterum chorum transire, qui cantum iuuarent. At enim qui præerat, quòd Francisco iunior, eo præsente, non id sibi licere voluit: eòque à vocum disparitate audiri nescio quid inconcinnum, ac dissonum debuit. Tamen ita vtrinque cani cœptum, vt nulla ibi obseruari inæqualitas potuerit: eadem vtrobique contentio, veluti idem esset vtrobique psallentium numerus, eademq; vocum vis: quod omnium excepit admiratio, tribueruntque Francisci humilitati, qua ille suo se iure exuerat. Abdicasse verò, ac cessisse loco, parum illi fuit. Id namque ex ingenio modestiæ adsectare vehementer videbatur, vt & esset, & videretur domi vltimus; promptus ad omnium obsequium, ceu singulis obnoxius, ac communis omnium administer, ac famulus. Interrogatus, nunquam, nisi petita priùs facultate, familiari ea voce: Honores auersatus

bene-

benedicito, respondebat. Atque hæc externa in eo humilitatis argumenta.

Interior Olympij humilitas

Quod verò ad interiorem animi modestiam attinet, haud facile profectò erit aliquid hic adnotare, de insigni virtute, cui proprium latere. Planè id Olympio primum, præclara animi ornamenta, tùm quicquid pulchri, ac sancti patrare contigisset, mortalium oculis, adducto veluti velo, subducere. Si quid eius virtutis, ac cælestium beneficiorum manasset in vulgus, hoc illi supra quàm dici potest, grauissimum. Semel adactus ex obedientiæ legibus, vt arcana quædam sui pectoris aperiret: hic lacrymæ, hic gemitus: ac nonnisi abiectus humi; atque inter singultus expromere, quæ premere arctissimo silentio voluisset. Lucem proinde, ac frequentiam oderat, amabatque vehementer, quæ virtutum exẽpla, ac diuini Numinis dona tegeret, solitudinem; quam illi identidem indulgeri, oportuit, ac visus nunc in Surrentino, nunc in Æquensi secessu, cœlo, & Angelis testibus, agere. Præterea cùm sæpiùs efflagitasset, vt in cellula recluderent, ac veluti consepelirent, longè à consuetudine, aspectuque mortalium; id aliquando impetrauit, vt domi se contineret, nec sinerent in publicum prodire, atque ad alienas ædes excurrere, quod illi iucundissimum.

Quo se loco haberet

Sic autem delitescere ea potissimum ex causa cupiebat, quòd indignum se communi luce, ac aere reputaret, ceu culpis omnibus coopertum. Certè suæ conscientiæ arbitris, alijsq; affirmare interdum non dubitauit, se quidem non modò desidem, ac nullius æris hominem, sed peccantium principem esse: Cumque frequenter cùm nostratium, tùm


exte-

exterorum precibus magnis criminibus obnoxios commendaret, de se ipso præcipuè intelligebat, vtipsemet non semel docuit. Recitare cum Socio diuinas laudes aliquando contingebat: ac tùm quidem quoties aut misericordiam, aut peccatum nominari, oporteret, intimo quodam sensu pectus tūdere; oculos nunc ad terram deiicere, nunc in cœlū extollere videbatur, ceu pigeret criminum, ac veniam à Deo posceret. Hinc vehementer discruciari, ac penè indignari, cùm interpellari se, suumque peti apud Deum patrocinium passim cerneret. Se namque, aiebat, aliorum ope indigere, cui nihil inesse solidæ virtutis, parum esset; nisi multiplex etiam labes animum dehonestaret. Qua etiam sui opinione mirum, quo sensu honores, qui sibi habebantur, exciperet. Falli homines, dicebat, qui si virum intimè agnoscerent, despectui profectò haberent. Quicquid proinde obsequij impenderent, Deo statim tribuebat; ac in promptu illi ea verba: Soli Deo honor, & gloria: aut illa; Gloria Patri, & filio, & Spiritui Sancto. Quocirca pro comperto habemus eorum testimonio, quibus eius pectus patuit, inanis gloriæ, quæ neque bonis interdum viris parcit, nunquam ne leui quidem aura pulsatum Olympium, affirmabatque ipsemet, honorem quemlibet, ac laudem mortalium ad ipsum, velut ad scopulū vndas impingere, ac frangi.

Illud etiam adfectare vehementer videbatur, rudem nempè se diuinorum haberi: infantiam potissimùm in dicendo inculcabat. Ieiunam sibi orationem, exanguem, ac nihil ineptius, cum loqui de rebus cœlestibus oporteret: non sententias, non verba suppetere, vtpote quem non aliqua diuinitùs Inscitiæ opinionem adfectat. vena

vena irrigaret; ficuti plerifque contingeret, quos ipfe vel ad multam noctē fine faftidio aufcultaflet. Quæ quidem cùm diceret, vultu, geftu, atque ardore quodam facundiæ fidem facere videbatur. Eodemque ftudio, vt illeteratus, ac doctrinarum expers haberetur, curabat. Semel daturus ad Ducem Alcalenfem literas, eas fuo confeflario detulit: quibus ille perlectis, monuit, efle, quæ in ipfa fcribendi ratione peccarent: eòq; emendanda, ne imperitiam fcriptoris proderent. Atqui, inquit ille, hoc ipfum eft, quod opto, ac voueo, fcire omnes, me nihil fcire.

Suppetunt & alia, quæ eximiam Olympij humilitatem probent. Sed quæ diximus, abundè fuerint: idque duntaxat non diffimulandum, quod planè notatu dignum. Sæpius nempè, nec perfunctoriè Deum rogafle, vt quæ peteret pro alijs beneficia, dignaretur quidem vltrò conferre, fed lentè, ac mora; ne fi ftatim annueret, accepta fuis precibus referrent. Pulchrum id quidem, atque omninò ad modeftiæ palatum, cui id proprium, fimul alijs gratificari, fimul obtui quadam caligine beneficium velle: vt dum ignoratur munifica, ac prolixior manus, farta habeatur, ac tecta humilitas.



LAVS DEO; ET DEI PARENTI.

INDEX
Rerum Notabilium.

Cla-

Domi-

D.

Actuo-

H

I

Tem-

S

T

V

Z

AVCTORIS ADMONITIO.

Lector, aduerte in suprascripta Vita Venerabilis Serui Dei Francisci Olympij non pauca me attingere, quæ Sanctitatem ipsi videntur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab eo gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt: præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia etiam in miseros mortales, eius intercessione collata diuinitùs; denique nonnunquam sanctimoniæ videor appellationem tribuere. Verùm hęc omnia ita meis Lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi, tanquam à Sede Apostolica examinata, atque approbata; sed tanquã quę à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant: atque adeò non aliter, quam humanam historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. C. & vniuersalis Inquisitionis anno 1625. editum, & anno 1634. Confirmatum integrè, atque inuiolatum iuxta declarationem eiusdem decreti à SS. D. N. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam seruari à me omnes intelligant: nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare; vel famam, aut opinionem sanctitatis inducere, seu augere; nec quicquam eius existimationi adiungere; nullumque gradum facere ad futuram aliquando eius beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem: sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucubratione obtinerent, non obstante quocumque longissimi temporis cursu. Hoc tàm sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua inscriptione, & actione dirigi.

Fol.

Fol.	Lin.	Errata.	Corrige
5	3	videliecc	videlicet
12	32	peracre	adde, deſiderium
19	18	eam	ea
32	20	falicè	facilè
48	29	eùm	cùm
76	22	æxiſtimationis	exiſtimationis.
85	13	aduesùs	aduersùs
110	verſ.vlt.	motialium	mortalium
111	16	opere	operæ
119	1	Ioſephus	Iulius
	4	Ioanna	Hieronyma
121	24	viuidunque	viuidumque
131	19	pucherrima	pulcherrima
145	13	Hippocrates	Hippocratis
196	1	allegat	allegabat
198	21	voluntat	voluntati
220	23	addictiſſima	addictiſſimæ
221	5	Cacacciola	Caracciola
254	18	quot	quotquot
281	5	ſol nia	ſolennia
320	21	Lauria	Laurini
[illegible]	6	quidem	quidam
		tibi	ſibi
330	31	Vcatio	Vicario
336	31	Vcario	Vicario
350	verſ.penult.	deſpicaciſſima	deſpicatiſſimæ
354	16	ſioc	ſine